ITINERARII ITALIAE GERMANIÆQVE LIBRI IIII.

AD HAEC

ITER GALLIAE ET HISPANIAE.

Edente FRANC. SCHOTTO I. C. *ac Senatore Antuerp.*

Seriem auersa pag. exhibet.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Bernardi Gualtheri,
Anno CIↃ. IↃC. XX.
Permissu superiorum.

R. P. Ioanni de Pineda, Societ. Jesu, A. Schottus amici manu dono misit.

LIBRO I.

LIBRO II.

LIBRO III.

LIBRO IV.

TOMO ALTERO.

ILLVSTRISS. REVERENDISSIMOQ. SCIPIONI COBELLVTIO S.R.E. TIT. S. SVSANNAE CARDINALI Ampliss.

FRANC. SCHOTTVS Antuerp. S.D.

ANNVS *agitur duode-vicesimus*, SCIPIO CARD. *cum sæculari sacro sexcentesimo supra millesimum* Itinerarij Italiæ *libros tres*

typis Plantinianis euulgauimus, earum rerum quas vel audissem, vidissem, aut denique legissem horis à Iuris Ciuilis studio vacuis. Quo anno nondũ vertente, exemplaria adeo celeriter distracta sunt, nullum vt reliquum esset, ac Vincentini recudere, alij etiã in Germania sublegere ac laudare conatum nostrum cœperint. Rogatus

gatus itaque denuò ab amicis ijsdem quibus mos tum esset gestus, alteram adijciendam partem duxi, vt Germanis (qui se præteritos meritò querebantur) potissimum gratificarer, Romam Religionis ergò è Bauaria tendentibus. ITER *itaque è Belgio nostro per Germaniam Viennã vsque, vbi nunc Ciuilis belli fax, vt & Pragæ*

inter Vtraquistas ardet, perduxi. Parui non inuitus; propterea quod prisca Atheniẽsiũ lege meminisse, diris deuotum & damnari solitũ qui erranti viam comiter nõ mõstrasset, sed à semita abduxisset. Daturus etiam propediem è Gallia *atque adeo* ex Hispania(*quã olim Prouinciam frater meus carißs. Andreas* SCHOTTVS *Societa-*

cietatis JESV *presbyter accuratè lustratã, & quasi in Tabula pictam digito ostendere, suauiter ac iucundè narrando, solet.)* ITER *Romam versus, si longiorem modo vitæ vsuram* DEI OPT. *Max. benignitas septuagenario largietur. Habe interim magne & doctissime* CARDINALIS, *hoc qualecumque studij in* TE *mei ac beneuolẽtiæ*

pignus & argumentum, ad posteritatis quidem, si ætatem modo ferre poterit, amoris mutui memoriam sempiternam. Vale.

Antuerp. CIↃ.IↃC.
XX.

PRE-

KYRIE ELEISON. Christe eleison. Kyrie eleison Pater noster. totum.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto nobis domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis
℣. Benedictus dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.
Vers. Vias tuas domine demonstra mihi.
Resp. Et semitas tuas edoce me.
Vers. Vtinam dirigantur viæ nostræ.
Resp. Ad custodiendas iustificationes tuas
Vers. Erunt praua in directa. Resp. Et aspera in vias planas.
Vers. Angelis suis Deus mandauit de te.
Resp. Vt custodiãt te in omnibus vijs tuis.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

DEus qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus magis iter ad te stellâ duce pandisti, tribue nobis quæsumus iter prosperum, tem-

ausque tranquillum: vt angelo tuo sancto comite ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum peruenire feliciter valeamus.

DEus qui Abraham puerum tuum, de Vr Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, vt nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbraculum, & in pluuia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculũ, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, vt te duce quo tendimus prospere perueniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

ADesto quæsumus Domine supplicationibus nostris, & viam famulorũ tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ & vitæ huius varietates, tuo semper protegamur auxilio.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus: vt familia tua per viam salutis incedat, & beati Ioannis præcursoris tui hortamẽta sectando, ad eum, quem prædixit secura perueniat, per Dominũ nostrũ Iesum Christum filium tuum, Qui tecum viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine domini. Amen.

DE PEREGRINATIONE EX PLATONE DISPVTATUM.

Ob. Gifanius in Odysseam Homeri Προλεγομένοις.

PHILOSOPHORUM Homerus Plato (sic enim vocitabat Panætius) lib. XII. de Legib. bono legum scriptori viroque politico monet hoc inprimis curę esse debere, vt de *Peregrinatione*, & de *Peregrinis* diligenter & sapienter caueat: quod ea neglecta, maximum detrimentum ciuitatibus adferatur. βλάβη, inquit grauissimus ille scriptor, μεγίστη πασῶν.

Omnis hæc quæstio bimem-

bris est Platoni, quem auctorem
I. sequor. Aut enim de peregrinis
II. in vrbem recipiendis, pellendisue: aut de suorum peregrinati-
III. one disputari solet. Græci breuiter & eleganter, ἀποδημίαν καὶ εἰσεπιδημίαν vocãt. De vtroque genere seu capite fuerunt olim & sapientium virorum dissentientes sententiæ, & rerum publ. instituta dissimilia, quæ tamen omnis varietas tribus velut finibus contineri, atque definienda mihi videtur. Nam alios fuisse reperio, qui vtrumque improbarent: qui neque suos peregrinari paterentur, omnesque peregrinos suæ vel vrbis vel regni vsu prohiberent. In his familiam ducunt Spartani; quorum in vrbe, vt eleganter Nicolaus Damascenus Augusti Imp. amicus, ξένοις ἐμβιοῦν οὐκ ἔξεστιν, οὔτε Σπαρτιάταις ξενιτεύειν. Etsi

longe antiquiores Iudæi non absimile institutum diutissimè tenuerunt, Mose auctore: cuius sacratis Legibus omne ferè cum peregrinis commercium illis vetitum fuisse, non solum ex libris sacris cognosci potest, sed etiã ex Iustino, qui lib. XXVI. *Cauerunt*, inquit, *Iudæi, ne cum peregrinis conuiuerent:* quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemq; vertit. non quod vicinorum more AEgyptiorum, aduenas Moses vel necari, vel exigi vellet (nam de Iudæorum, & Mosis φιλοξενίᾳ eiusque humanissimis in peregrinos Legibus Philo in libr. περὶ τῆς φιλανθρωπίας erudite disserit) sed vt piè eos apud se consenescere aut ætatem agere paterentur.

11\. Fuerunt alij, qui suos illi quidem peregrinari permitterent, sed peregrinos vel exterminarent,

vel non reciperent. quod ipſum
inſtitutum cum prioribus quo-
que duabus illis gentibus magis
probatum video(nam Sparta-
norum nota & à multis in quæ-
ſtionem vocata eſt ξενηλασία(tum
& Romani, quorum alioqui ma-
gna hac in re fuit Licentia, eo
interdum ſunt vſi: teſtes ſint Le-
ges *Iulia & Papia*, de quibus Ci-
cero, aliįque. Apolloniatas quo-
que eodem vſos commemorat
Ælian. Lib. XIII. Var. Hiſt. ca. XVI.
De Aegyptijs (quorum etiam
ξενοκτονία iure accuſatur) eorum-
q; Buſiride, res eſt pervulgata, &
meminit Strabo li. XVII. Geogr.
ijs non ξενηλασίαν, ſed ξενοκτονίαν
quoque vſitatam fuiſſe. Omni-
bus denique Barbaris commune
hoc eſſe, auctor eſt Eratoſthenes
peruetus & eruditus Geogra-
phus, peregrinos pellere: quẽ mo
rem & Virg. li. I. Aeneid. *Barbarũ*
appellat

appellat. De Germanis veterib. maiorib. nostris hoc Cæsar li. II. & IV. cõmemorat, mercatoribus quidem aditum ad eos vix fuisse, ad Neruios ab Germanis ortos, planè nullum, *qui nihil paterentur vini, reliquarumque rerum ad Luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos, & eorum remitti virtutem existimarent*; quod hodie quoque in China & Catayo vsitatũ fertur. Alios vero aduenas & hospites quanta humanitate nostri olim sint complexi, exponit Cornel. Tacitus. *Conuictibus*, inquit, *& hospitijs non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur*, &c. Iam qui peregrinos recipiant, ipsi licet non facile peregrinentur, hodie quoque reperiuntur. nam Anglis accepi absque publico commeatu non licere exteras regiones adire: quod

quod idem vetat Plato lib. v. de Legibus.

III. Reliqui sunt qui neque peregrinos vrbe aut regno prohibere, & ipsi peregrinari consueuerunt, vt olim Græci, Romani, Pœni, atque hodie totus ferè orbis. Nam Pericles princeps Atheniensium apud Thucydidẽ lib. II. tacite Lacedæmonios perstringens, de suis ciuibus eo nomine gloriatur, τήν τε γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξενηλασίαις ἀπείργομέν τινα. Quanquam Romani veteres meliori iure gloriari possunt, qui peregrinos non solum vrbe, sed etiã ciuitate facile donarent; quod Græci contra, Spartani, Thebani, ipsi Athenienses; qui φυλάττοντες, inquit Dionysius Halic. libr. II. τὸ εὐγενὲς, cum nemine, εἰ μὴ σπανίως, ius ciuitatis communicabant.

Expo-

Expositis breuissimè veterum sententijs & institutis, restat, vt item videamus, quæ sententia maximè ciuitati sit salutaris, veroque magis consentanea: quæ dijudicatio etsi difficilis est, rei tam controuersæ & magnæ, tamen vt instituta hæc disputatio perficiatur, prætermitti non debet. Quæ quidem erit facilior, si argumenta illorum in medium attulero, quibus permoti fuerint, cur hanc vel illam sententiam probarent. Qui igitur vel omnem peregrinationem, & cum peregrinis consuetudinem, vel alteram partem improbant, grauissimis illi quoque rationibus niti videntur. Constat inter omnes politicos, Disciplinâ respublicas maximè contineri: adeò quidem, vt de singulorum moribus ciuium, status ciuitatum pendeat. quod

1.

grauiter

grauiter ostendunt Plato Libr. 4. de Rep. Isocrates in Areopag. Aristoteles libr. v. Polit. Diony. Plutar. & alij. Præterea migrare & mutare instituta Reipub. vel minima quæque, quam sit perniciosum, cum omnibus est notum, cum ab ijsdem illis alijsque magnis viris præclarè explicatur. Ad hæc igitur duo dubium nemini esse debet, quin tam in peregrinationibus, quam in peregrinis recipiendis, magnum positum sit monumētum. Nam singulorum quidem in moribus & disciplinâ, quid consuetudo cum alijs possit, notum vel ex pervulgatis Theognidis versiculis:

Εσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλά.

De vniuersis verò gentibus pulchrè Liuius lib. 38. *Sicut in frugibus*, &c. *Generosius* inquit, *in sua quidque sede gignitur; insitum aliena terra*

terræ in id quo alitur, natura vertente se, degenerant, &c. Martiis viris cauenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ: tantum hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet. Hos vero externos mores & instituta non solum addiscunt & imbibunt ipsi, sed domum reuersi, alios quoque ciues inficere, rerumque publ. instituta conuellere nituntur. Sic olim ex Persia & Africa Luxuriã, de Græcia & Africa calliditatem & perfidiam, Romã seueritatem domum reportare solent. Hinc & L. Lucullus summus alioqui imperator, valde olim reprehẽsus fuit; qui ex Asia affecto iam bello Mithridatico reuersus, peregrinam Luxuriam secum Romam deportarit, πρῶτος inquit idem

idem ille Nicolaus apud Athe-nęum lib. VI. *τρυφῆς εἰσηγητὴς Ρωμαίοις*. Quanquam Liuius libr. XXVII. Marcello tribuit, & libr. XXXIX. exercitui Asiatico. *Nam deuicto Antiocho, ab hoc peregrinæ Luxuriæ origo inuecta in vrbē est*, &c. *vix tamen illa*, inquit, *quæ tum conspiciebantur, semina erāt futuræ Luxuriæ*. Scilicet Syracusanis Marcelli spolijs cœpta Romę, auctaque posterius per exercitum illum Asiaticum, ab L. Lucullo tandem perfecta fuit. Quin Syllano quoque exercitui culpam attribuit Sallustius. nam *à Sylla ductus*, inquit, *in Asiam exercitus Rom: ibi primum insueuit amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea priuatim ac publicè rapere*, &c. Quare Lycurgum laudat Valer. Maxim. quod suos ab Asia abstinuerit. Hac autem de causa Anacharsin quoque, post

postquam diu apud Græcos versatus, domumq; reuersus, πολὺς ὢν ἐν τῷ ἑλληνίζειν patriæ instituta mutare vellet, suus ipsum frater teste Laertio interfecit.

Neque vero moribus tantum magna labes rebusque publicis pernicies hinc est metuenda, sed magna quoque rei familiaris, magna sæpe temporis fit iactura. Vt nihil de valetudine dicã, quæ tam multiplici victus ratione, tot iactationibus, & crebra cœli mutatione fieri vix potest, quin sæpenumero corrũpatur. Præterea videre sæpe licet eorum qui diutius peregrinantur amorem & studium aduersus patriam paulatim elanguescere. Nam vt eleganter poeta, *consuetudo,* inquit, *concinnat amorem.* Hinc & patriæ tandem existat contemptus necesse est, & peregrinorum aut exterorum amor

&

& admiratio, ſæpe etiam cum ijs conſpirationes& conſilia aduerſus patriam: quod ſapienti & præſtanti viro Xenophonti accidit, propter diuturnam cum Ageſilao Spartano conſuetudinem.

Quapropter Seneca lib. XVIII. epiſt. *Quid*, inquit, *per ſe prodeſſe Peregrinatio cuiquam potuit? non voluptates illa temperauit*, &c. *Peregrinatio notitiam dabit gentium, nouas tibi montium formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles*, &c. *ceterum neque meliorem faciet neque ſaniorem*, &c. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. nulla ars loco diſcitur.

De *peregrinis* autem in vrbes recipiendis eadem ferè dici poſſunt ac debent. Nam quæ ſui peregrinando, ea peregrini aduentando mala ſecum importare

re solent: Luxum in cultu & victu, auaritiam, fraudes, mores peregrinos, & instituta, religionē: denique & ceremonias alias. Quibus rebus permotus ξενηλασίαν Lycurgus Spartæ instituit, non tā veritus, ne, vt apud Thucydidem lib. 2. Pericles ait, sua instituta exteri cognoscerent & addiscerent, quā ne sua illi Spartanos vsu & consuetudine docerent. Vt enim eleganter Plutarch. ἅμα ξένοις σώμασιν ἀνάγκη λόγους ἐπεισιέναι ξένους; &c. Præterea cum peregrinis immigrat lingue cultus, aliarum rerum dissimilitudo, mater omnis discordiæ & seditionis; adeo vt multarum rerump. interitum ex hac dissimilitudine exstitisse doceat Aristotel. Lib. v. Polit. Omitto occultas coitiones, speculationes, & conspirationes, quæ peregrinorum hac Licentia facile

cile suscipi & perfici possunt; cuius rei exempla commemorarem, ni spatio excluderer. Quid de Religione dicam? cui à peregrinis quanta labes sit metuenda, non Moses tantum, qui Religionis maximè causa suis peregrinorum commercio & consuetudine interdixit, non etiam veterum Principum Christianorum de hæreticis pellendis, aut tollendis, de paganis, Iudæis coercendis, Leges: sed profanarum quoque gentium cura & diligentia commonefacere nos debent, & pudorem incutere. Qua de re videantur Quæstiones de *sacris peregrinis*, apud Cicer. li. 2. de Legibus, Liuium libr. 39. Dionys. lib. 2. Sueton. in Tiberio, & Senecam in epist. Valer. Max. lib. 1. c. 3. Hæc aliaque id genus adferri possunt ab ijs qui vel peregrinari suos nolunt, vel

vel aduenas vrbe regnoq; suo prohibere solent.

Peregrinationis vtilitas.

Reliquum iã erat eorum quoque vt argumẽta, qui contrariã sententiã & institutũ probãt, exponeremus: vbi *de peregrinatiõis vtilitatib.* multa dici possent. Eã homines & prudentiã & humanitatẽ & auctoritatẽ, multarumq; rerũ vsum & cognitionem sibi cõparare; de Peregrinis, eos non solũ propter naturalẽ inter homines necessitudinẽ, sed etiã propter rerũ cõmercia & permutationes, duas omniũ ciuitatũ causas & velut fontes, nõ esse pellẽdos vel exterminãdos. Verũ qa res hęc est lõgior, & dijudicatio huius cõtrouersiæ ex prioribus aliqua capi potest, tũ ex Platone sũmo Philosopho peti, verba grauissimi scriptoris quæ exstãt li. 12. de Legib. Πόλ{ δὴ ἥτις ἄν, &c. vt antea, sed Latine huc planè referẽda duxim⁹. Eius igitur verba ex li. 12. de legibus hæc sunt; Συμβουλεύειν τὸν νομοθέτην, &c. id est. *De his igitur*

** *legum*

gum scriptor, adhibita primū persuasione, v diligēter cōsiderare debet. solet enim ciuitatū inter se cōmunicatio, varios mores permiscere: & peregrini, alius alijs noua instituta adducere. Quę res ea est vt Rebusp. quidē bene descriptis, fraudē & dānum omniū grauissimū adferre possit: in plerisq; autem ciuitatib. vtpote vitiosis & male descriptis, nihil refert & peregrinos recipere ad se: & permittere, vt ciues, qbus erit libitū, aliò peregrinādi causa proficiscātur, siue adolescētes sint, siue ætate maturiore. Contra vero, nullos vnquā recipere peregrinos, neq; pati, vt ciues aliò peregrinentur: cū fieri id & consistere planè nō potest, tum barbarū & inhumanum alijs videatur, qui ciuitatem eā infamibus nominibus, ve peregrinorū omnium hostē, & moribus sæuis ac superbis vtentē vocent. Sic igitur de peregrinatiōe alios in locos ac regiones, & cōtra de peregrinis recipiendis sanciendū est. Primò, qui pauciores

tiores annos quã 40 natus, nemo peregrinetur, erit; priuato quoque nemini peregrinari liceat; publice autẽ & Reip. causa liceat præconibus seu fetialibus, legatis & inquisitoribus quibusdã siue spectatoribus, (quos Plato θεωρὸς vocat.) Ad Pythium quoq; Apollinẽ, ad Iouẽ Olympiũ, Nemeã etiã & Isthmũ mittendi sunt aliqui, per quos sacrificia ludosq; his dijs ciuitas nostra faciat. mittãtur autem qui reperiãtur, plurimi, præstantissimi, optimi, qui in sacris quoq; & pacis conciliis accoe tibus ciuitati suæ honorẽ & gloriã bellicæ gloriæ respondentẽ pariãt: qui domũ reuersi, adolescentes doceãt, aliarum instituta rerum publ. suis longe esse deteriora. De ijs autem Spectatoribus, quiq; alienorum institutorum & morũ cognoscendorũ causa peregrinari cupiunt, ita statuendum. Primum vt spectator annos plures q̃ quinquaginta natus sit. Deinde vt ex eorum sit numero,

qui cum alijs rebus tū bello sint clari: Præterea vt ne vltra annū sexagesimum vagetur, summū intra x. annos domū reuertatur. Postea domū reuersus Senatui vt exponat aliorū instituta & leges, si quas meliores vel ab alijs didicerit, vel ipse adinuenerit. Ipse aūt si melior redierit, magnis honorib. ac laudibus tā viuus q̄ mortuus adfici debebit. Si saltē nō deterior, aliquo modo laudetur, ꝙ ea quæ potuit, præstiterit. Quod si deterior factus erit reuersus & corruptis moribus, is nemini neque adolescenti nec viro se adiungat. Qui si magistratib. parebit, priuatus viuat; Sin autē inuito magistratu aut senatu ipse publicam disciplinā, leges & instituta labefactare volet, morte adficiatur. & hæc quidē de ciuib. nostris peregrinari volētibus. De peregrinis autem in vrbē recipiendis sciendum, quatuor eorū esse genera. Vnum est mercatorū & eorum, qui tanquā aues per mare volitent

quæ-

quæstus fere causa: hos in vrbē recipi Plato vetat, sed in suburbiis dom' & fora illis describi iubet, vbi & merces vel emāt vel vendant, & ius illis ibidē reddatur. Sunt alij qui studiorum tātum & artium liberaliū causa aduentēt. & hos in vrbem recipi permittit, ita tamen vt propter tēpla sint horum diuersoria, quorum sacerdotes curā gerāt, & præsint. Tertium genus eorū est qui publice ad nos legātur oratores; quorum curam suscipiēdorum, belli præfectis committit. Est & quartū genus, sed rarius, quod nostris illis Spectatoribus respondeat, quod genus nō temere quoque in vrbem recipiendum esse ait, nisi & 50. annis sint maiores, & eo plane animo veniant, qui cupiāt aliorum leges & instituta præclara cognoscere, & sua quoque nobiscum communicare.

Ex hoc aureo Platonis loco intelligitur, quib. Peregrinatio permittenda, & qui peregrini in vrbē sint

recipiēdi. Qua vtraq; in re quā grauiter hac ætate peccetur, cū per se perspicuum est, nō nisi lōga oratione explicari nō posset. Cū igitur, vt vetus est Philosophi dictū, ὁ βίος ἀποδημία *Vita, via est ac peregrinatio*: vt à Iobo *militia* est appellata, sic & à Pythagora mercatui cōparatur, ad quem varij spectādi gratia cōueniāt & πανήγυριν Græci nominant, vt Laertius refert, hisq; verbis disertus M. Tullius Tusculana V. Quēadmodū illic, inquit, alij emēdi aut vendēdi quæstu ac lucro ducūtur, at maximè ingenui qui nec plausum nec lucrū spectant, sed visendi causa venirēt, (hoc est, peregrinar tur.) Sic alios (etiā in peregrināndo) pecuniæ seruire, alios gloriæ videmus (vt innotescant etiā exteris gētib. Raros esse quosdā, qui cæteris omnib. pro nihilo habitis rerū naturā (peregrināndo) studiose imitātur. Hos vero scientes peregrinos appellare merito possis, vt qui discēdi sūt gratia profecti, vt olim Philosophi, ad exteros doctores.

ITER E BELGIO IN GERMANIAM.

COLONIA Aquisgranum 9. $\frac{1}{2}$ mil.
distat Belgica horæ vnius.

AQVISGRANO Traiectum, 4. mill.

TRAIECTO Leodium 6

LEODIO
- Louanium 13
- Bruxellas 17
- Antuerpiam 21
- Francofurtum 39 $\frac{1}{2}$.

TRAIECTO Antuerpiam 20. miil.
Dordracum.

ANTVERPIA
- Bruxellas 8
- Mechliniam 4
- Louanium 8
- Gandauum 10
- Brugas 18
- Syluam ducis 14

DORDRACO
- Harlemum 14 mill.
- Vltraiectum 6
- Leydam 3
- Delphum 3
- Amsterodamum. 8

SCRIP-

SCRIPTORES
De Peregrinatione.

PLato libro XII. de Legibus. Hilarius Pirckmair & Hieronymus Turlerus, libro singulari, Norib.

M. Georgij Loysi Peruigilium Mercurij. Spiræ.

De victus ratione in peregrinando.

Gul. Gratarolus Med. de regimine iter agentium. Theod. Zuingerus Med. de Apodemica victus ratione, ac de varijs Academ.

Exempla, & Historiæ.

Iusti Lipsii Monita politica. Antuerp.
Gasparis Ens Epidorpidum li. II. Colon.

IocA, & casta dicteria.

Had. Barlandi libri III. è Macrobio, Martiali & Iouiano.

Ottomari Luscinij ex Epigrãmat. Græcorum.

Domitij Brusonij. Basil. & Melander.

ITI-

ITINERARIVM BELGICVM.

Ex Hadr. Barlando de Vrbibus.

COLONIA AGRIPPINA, *hodie* Cöln.

DE inferiore Germania quę frugiferarum aut lætarum arborum ferax terra est, magnisque & nauigabilibus fluminum alueis irrigatur, & quibusdam aliis finitimis vrbibus literis aliquid mandaturus, incipiam à COLONIA AGRIPPINA, quæ & situ & flumine & populo clara est, & magnificenter ædificata atque elegans, Hic vrbe media templum videtur magnificum, vbi trium corpora *Magorum* seruantur, qui Christo in Bethlehem recens nato munera obtu-

lerunt. Habet Archiepiscopum, qui sit vnus è septem Principibus, ad quos electio pertinet Romani Imperatoris. Habet magni illius Alberti sepulchrũ. Tot habet sanctorum reliquias. Hic Vrsula ictu sagittæ transverberata cum tot virginum milibus, cum tot victricibus turmis ad cœli palatium purpureo sanguine laureata migrauit. Hic Gymnasium est liberaliũ artium, in quo permulti & eloquentes & docti viri bonas literas sunt professi.

AQVISGRANVM. Aken.

Distat hinc decem milia *Aquisgranum*, insigne oppidum monumento *Caroli* magni Imperatoris, quod in templo illic marmoreo visitur. Est & venerabile sanctorum reliquijs, quas idem Carolus ex diuersis locis hic esse voluit.

LEODIVM. Luyck.

Descendo nunc ad *Leodium*, quæ vrbs amœnissimo extructa loco, & sacris ædibus, & Canonicorum collegiis longè superat alias omnes, quæ sunt in nostra Germania. Ad hæc ornamenta *Episcopum* habet, quo non alius est locorum, quibus imperat multitu

titudine potentior. Præcipuæ bonitatis est & vini ferax Leodinorum ager.

TRAIECTVM. Maestricht.

TRAIECTVM, quod superius nominant, ad eius differentiam ciuitatis, quæ in Hollandia est eiusdem nominis, oppidum & natura loci, munitionibusque, & populi frequentia, & ædificiis & Canonicorum Collegio nobile, speciem præbet vrbium duarum, coniungente eas ponte longiusculo. Huius incolæ, quanquam Leodinis vicini, tamen Burgundicæ domui mirè fauent.

NAMVRCVM. Namen.

NAMVRCVM ad ripam Mosæ situm arcem habet munitissimam, qua bellorum tempor bus in captiuis seruandis vti consueuerunt Principes nostrates. Populus hic non dici pot est, quam sit amans Burgundionum, pro quibus aliquando etiam suis militasse stipendijs leguntur. Ferrifodinas habent & in montibus oppido adiacentibus vitiaria amœnissima. Horum tritici & siliginis fertilissimus ager est.

BRABANTIAE DVCATVS.

NVlla est Natio cui vel humanitate, vel bonitate cesserint *Brabanti*: nulla gēs, quæ minus grauē senectutē sentiat. Hoc præstat illis hilaritas. Vnde videtur manasse iocus ille: *Brabantus, quo natu grandior, hoc suauior.* Sic enim interpretor illud: Hoe ouder/ hoe soeter. Horum regio tota amœnissima est, nemorosa plerisque locis, ac multiiugis ferarum generibus abundans. Aeris tanta præsertim circa Louanium & Mechliniam oppida puritas, vt in circumiacentibus regionibus non rarò sæuiente pestilentia, Brabanti immunes à lue perseuerent. Terra hæc vbique herbida, rerum omnium ferax, quæ blandiuntur naribus, quæ palato sapida sunt. Quæcunque oculos pascunt, quæcunque ad nostratia medicamenta conueniunt, largissimè effundit.

LOVANIVM, nunc Louen.

LOuanium caput est vrbium Brabantiæ, cæli & aeris benignitate nulli cedens aliarum. Hic intra muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri

agri, pomaria, campi, dumi, saltus, pascua, paruę syluulæ, parua nemuscula, vt meritò hanc sedem ac domicilium optimarū artium delegerint maiores nostri. Habet enim scholam, qua non alia secundum Parisiacam numerosior, neque ornatior. Multa sunt passim toto orbe Christiano Gymnasiá, sed in aliijs alia videas desiderari. Aureliæ in Gallijs solæ leges Ciuiles; Parisijs, Theologia, Ius Canonicum, Philosophia traduntur. Sunt aliæ quædam scholæ, vbi sola in pretio est medicina. Louanii omnes scientiæ docētur. Habet hæc vrbs sacras ædes plurimas. Vnam diui *Petri*, structurâ tam eleganti, vt architectorum iudicio nullam pluribus locis inuenias pari politie. E conspectu templi Apostolici visitur domus Ciuica operosissima, & quæ non vna re testetur olim florentissimam fuisse vrbem Louanium. Hāc artificij plenam structuram mirantur Galli, Germani, Britanni, & Itali. Schola Louaniensis vnum habet caput, vnum principem, cui omnes pareant; hunc Rectorem vocant. Cuius officicium est ius dicere, priuilegia tueri, & malefici reos scholasticos pœnis affi-

cere. Quum in publicum prodit, ante eum it accensus, quem Bedellum recepto illic vocabulo appellant. Pone sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur hinc apparet, quod Consules, Magistratus, & clarissimi quinque viri, denique omniũ dignitatum gradus Academiæ principi assurgant, & decedant de via. Exeunti ad comitia, quæ certis anni temporib. indici solent, plures Accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim Dictatura fuit sex duntaxat mensium. Sunt & alia quædam Louanii non indigna spectatu loca, Xenodochium amplissimũ, vbi nunquam non assistunt ægrotis mulierculæ, solatijs refouentes singulos, atque adferentes quod cuique è valitudine esse constiterit. Est alio loco digna Diuis, digna Principe domus, quã extruendam curauit summus Pontifex *Hadrianus Sextus*, quum adhuc in minoribus agerer. Intra mœnia visitur & cœnobium Carthusianorum, loco & ab omni tumultu, & ab omni frequentia semoto, ita vt nec eremi solitudinem

in

in vrbe magnopere desiderent monachi, Hoc ædificio nihil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius ingenuè fatentur quiuis exteri. Ad muros vrbis, qua Mechliniam itur, arx est insigni vetustate, & ad ocium, rerumq; vrbanarum vacationem principibus accommodata. Eodem loco in monte templum est Baptistæ sacrum. E regione arcis, cuius modo commemini, turris est in ipso muro ex candido lapide, eaque altitudine, vt inde videri sereno cælo Antuerpia possit, octo magnis miliarijs Louanio dissitum oppidum. Vulgo Impēsa perdita, id est, ver lohtn Kost/ vocatur hæc turris. Quam annis aliquot superioribus fatiscentem, Cōsules magno reficiendam curauerunt. Ager Louaniensis præter frumentum, legumina, triticum, poma, pira, persica, cæteraque ad corporum alimoniā pertinentia, dat & vinum. Cuius ea natura, vt non facile inebriet, non facile ad arma protrudat, & luctam Veneream. Bibant hoc vinum initiati, quos diuinæ literæ perpetuo sobrios & continentes esse volunt.

BRVXELLA.

VRbs aulicorum frequentia, fontium copia, magnificentia Principalis aulæ, Ciuicæ domus ac plurium aliarum splendore nobilissima; & quod de sua Burdegala dixit Ausonius, *Clementia cœli Mitis, & irrigua larga indulgentia terra*. Huius incolæ *vestitu* opes suas ostentant præ ceteris, & maxime genus mulierum. Templorum omnium hoc loco magnificentissimum est D. Gudulæ, Canonicorum collegio insigne.

MECHLINIA.

DIstat *Bruxella* & Louanio miliariis quatuor *Mechlinia*, vrbs situ & opere munitissima, quæ ipsa quoque suas habet minimè vulgares dotes. Aeris multam clementiam & salubritatem, incolas sermone blandos, moribus mansuetos, comes, ciuiles; bellicosos etiam vbi res exigit. Placet in hac vrbe vicorum amplitudo, placet munditiés. Habet Consilium Regium, habet & ædes sacras complures, sed duas, quæ longe cæteris antecellunt, *Deiparæ* vnam, & alteram diui *Rumoldi* ornatissi

tiſſimam,cum turri, quæ & magnifica eſt, & altitudine ſpectabilis.

ANTVERPIA.

NVnc offert ſe mihi ANTVERPIA, ad Schaldam flumen ſita, emporium longè celeberrimum. De cuius *Situ*, ſplendore ædificiorum, populi induſtria, ac diuitiis quorundam extant ſcripti libri, Ioannis Seruilii & Ludouic. Guicciardini. Eſt hoc nobile oppidum partim maritimum, Gallis, Germanis, Hiſpanis, Britannis, Italis frequentatum. Diuino munere & Senatus prouidentia ſic floruit mercimoniis, vt nec Londino in Anglia, nec apud Germanos Francfordiæ, nec in Gallis Pariſio cedere debuerit. Priuatæ hic domus affabre conſtructæ. Certamen eſt in vrbe, quis magnificẽtius ædificet. Grandia ſunt templa, vnum Deiparæ Virginis auguſtiſſimũ, cum turri altiſſima ex candido lapide. *Gentis* mirum in opificiis acumẽ. Domus extruunt, altas magis, quam amplas, propter locorum anguſtiam, & ferè ex lapide. Eſt hæc ciuitas vna omnium quæ ſunt hodie in inferiore Germania, ſacrarum certè cæremoniarum ſtudioſiſſima, veræque pietatis

cultrix. Monasterium habet Præmonstratense, & structura magnificũ, & monumento Isabellæ Caroli Ducis Burgundiæ coniugis nobile.

BVSCVM DVCIS.

OPpidum ludo literario, & pugnaci populo nobile. Horum arma superioribus annis haud semel Gelrijsensere, cum qua gente vario certatum est euentu nostris hominibus. In hac vrbe templum est B. Ioan. Euang. sacrum, opus visendo apparatu.

FLANDRIAE COMITATVS.

EST & FLANDRIA regio fertilis, atque amœna & pluribus locis suauiter aprica, neque expers nemorum & collium. Habet & lacus perspicuos, flumina, fontes'que salubres. Gentem non inhospitalem, vestitu & lingua à Brabantis indiscretam,

GANDAVVM. Gendt.

EIus terræ ciuitas fluminibus nobilis, amœna, ampla, spatiosa, nusquam conclusa, nusquam suffocata. Innumeræ, cultæque domus, facunda virorum ingenia, antiqui mores, tum duplice muro amplificata loci species,

Suos

Suos etiam habet, vt Louanium, meditationi ac studijs aptos recessus. Habet & ludos literarios multæ celebritatis, Magnifica templa, coelum perquam benignum, Gentem frugalem magis dixeris quam parcam. Est Gandauum & pluribus diuorum corporibus, & nobilibus monasterijs duob. exornatum, Petri Apostolorum principis, & Bauonis. Vtrumque Abbatem habet, & annuos prouentus amplissimos.

B R V G AE. Brugghe.

PVblicarum priuatarumque ædium in hoc oppido splendor & magnificentia omnem orationem, omnem dicendi facultatem supergreditur. Vt paucis omnia dicam, totus hic locus pascendis oculis, reficiendis animis dicatus est. Pulchra sunt oppida *Gandauum, Antuerpia, Bruxella, Louanium, Mechlinia*, sed nihil ad *Brugas*, quomodo olim, fuere. Præter Gandauum & Brugas longè clarissimas vrbes, aliaquædam sunt in Flandrijs oppida clarinominis, *Alostum*, quod ad posteros nobile reddidit tot excusis in omni prope disciplinarū genere pulcherrimis libris Theodoricus Alostensis typographus; *Aldenardum, Insula, Ipera, Teneramunda, Slusa*, quod postremum est maritimum.

TORNACVM. Tournay.

NEscio an vllum *Tornaco* extaret florentius oppidum, vel in Flandria, vel in Brabantia, si nostratium quam Gallicarum semper esse partium maluisset. Cui hic affectus quātum paucissimis annis malorum inuexerit nos ipsi vidimus. Octo enim spacio annorum eadem ciuitas bis capta, semel diuendita, & interim sæpius ad exterorum libidinem vexata est.

HANNONIA.
Hennegaw.

H*Annonienses* populi fide, & armis erga Principem suum nulli aliarum regionum cedentes, terram & ipsi incolunt herbidam, & pascuis admodum lætam. Pietas huic genti in Deum singularis, idioma gallicum, vt vicinis Tornacensibus est. Habitus & cætera vita eadem quæ & Flandris, quibus sunt contermini. Præcipua Hannoniæ oppida *Berga & Valencena*, vtrumque legibus optimis institutum. Nobis hæc commentantibus, Valencenis fortuito incendio plus mille domus conflagrarunt pulcherrima totius vrbis regione.

FRI-

FRISIA.

PHrysii in bello feroces, & armis exercitati, robustis ac proceris corporibus. Nulla seruituris gens impatientior. Boues optimos alunt, quos in alias terras abactos vendunt magna pecunia. Phrysiæ planus est ager, & multo gramine fœcundus. Ignem struunt ex bituminoso cespite, propter lignorum inopiam. Hos populos anno superiori ad Caroli Cæs. obsequium retraxit clarissimi belli dux Ioannes à Vvassenaer, quem si fata virum nobis seruassent, validas Gelriæ venisset ad vrbes. Oppida Phrysiorum magis insignia sunt *Gruninga & Levvardia*, vtrunque opulentum, vtrunque populosum. Illud etiam validè munitum contra hostiles insultus.

GELRIA.

NVnc de GELRIA dicendum est, regione non tantum ad suorum, sed exterarum quoque gentium tutelam fertili: vt interim silentio præteream, quam bellicosum atque pugnacem habeat populum, suóque Principi valde fidelem. Vrbes hic quatuor maximè insignes, *Nouiomagum*, quod amœ-

nus ac nobilis fluuius Vvala præterfluit. *Ruremunda* & ipsa suis dotibus nobilis. *Arnhemium*, quod nostra memoria Philippus Burgundionum Princeps occupauit. Et *Sutphania* ciuibus, opificibusque non infrequens. In his quatuor nominis vetustate, populi frequentia, & opum magnitudine primas tenet *Nouiomagum*, partim in cliuo, partim in plano situm, patria ac natale solum eruditissimi, facundissimique viri, studiosorum omnium Mœcenatis *Francisci Craneueldii* Cæsari Carolo à consilijs Mechliniæ: & Petri Canisij Societatis Iesu Theologi, plurimorumque.

HOLLANDIA.

QVam nunc *Hollandiam* dicimus olim *Holtlandia* nominata est à copiis lignotum, vt habent annales quidam. Huius regionis herbis & salictis maxime consitus est ager. Frumentum, quo vtuntur, nauigiis aliunde inuehitur. Homines hic industrii, negotiosi, simplices, & ad omnem humanitatem benignitatemque propensissimi. Alios videas ad parandam vel rerum, vel linguarum cognitionem diuersa Christiani or-

ni orbis adire gymnasia; Hollandis vero magis honoratur egregia morum integritas; quamquam nec ipsa negligunt studia, præcipuè literarum meliorum, quas aliquanto felicius quã cęteri discũt, si modo a teneris annis præceptoribus tradantur. In vasorum nitore, mensarum lautitiá, mantilium atque mapparum candore, munditia denique rerum omnium superant alias nationes. Mulierum genus pulchrum & lacteum, aut negociatur vt viri, aut lanificio, lanificar óve dat operam. Hollandia & piscosis interluitur amnibus, & pascuis abundat vberrimis, neque regio esse creditur alia in orbe, quæ simili spatio tot habeat oppida, mediocriter quidem magna, sed apprime polita & concinna. Pagos quoque reg o sumptu passim ædificatos videas. Dolendũ hanc tam nobilem, tam florentem prouinciam Caluiniana hæresi esse corruptam. Dicam nunc de oppidis huius regionis.

VLTRAIECTVM, Hodie Vtrecht.

HAnc vrbem alij attribuunt Hollandiæ, alij Phrisiæ, siue in Holladico

solo, siue in Phrysia sita, haud dubiè nobilissima est, & priuatarum ædium pulchritudine, & Clero. Habet enim celeberrima Canonicorum collegia, in quibus Principem tenet locum quod est diui Martini. Habet & Antistitem, qui in sacris imperat. Hic tam diues ac potens, vt si quando sit necesse, quadraginta hominum millia ad bellum possit armare. Ex hac vrbe Roman. Pontificem *Hadrianum* eius nominis sextum nostra vidit ætas. Quæ felicitas nulli vnquam cōtigit aliarū quę sunt in orbe nostro. Ab Vltraiecto non longe dissita est *Dauentria*, quod oppidum plures annos floruit schola bonarum literarum.

DORDRACVM.

Dordrecht.

VRbs est valdè munita, negotiationi idonea, vnd que cincta mari, opibus & celebritate inter alias longè princeps.

HARLEMVM.

HAnc vrbem inuenio conditam à quodam illustri viro, cui nomen inditum fuerit Lem germanica lingua.

Vrbs

vrbs hinc dici cœpta **Heerlems Statt** Germanice, nos eadem ratione HERLEMVM dicimus Latine. Forum hic maximũ, pulchræ domus, templum egregium. vrbs sita est loco peramœno. Statim egresis mœnia, occurrit nemus, in quo timidi damæ ceruique fugaces, lepores, cuniculi, denique ferarum omne genus.

LEYDA.

Pulcherrimum Hollandiæ oppidorum. Aedificia habet & concinna & frequentia. Vicorum hic est perpetua quædam mundicies, vt aliis quibusdam terris plus luti ac cœni inuenias in domibus, quàm hic in plateis.

DELFVM & HAGA.

DE huius oppidi conditione dictum non nihil in Historia de Comitibus. Incolarum opes amplæ sunt, multa in Diuos pietas. Ceruisiam conficiunt optimam, quæ plurima ad Selandos vicinam gentem importatur. Hinc paruo miliario distat *Hagacomitis*, ita enim nominatur, pagus & magnitudine, & cultu, & incolarum frequentia non paucis anteferendus. Hic consi-

concilium est, ad quod totius Hollandiæ, atque item Selandiæ populi occurrunt in rebus ambiguis.

AMSTELREDAMVM.

HOc cæteris quæ nominaui, recentius oppidum, genus hominum incolit pecuniæ studiosius. Quocirca in remotissimis etiam terris negotiantur, habentque toto ferè anno externum domi suæ mercatorem. Præstat hæc illis commoditas portus. Sunt alia quædam non pœnitenda Hollandiæ oppida, *Goricum, Gouda, Alcmaria, Roterodamum*, Erasmi Roterodami vrbs nutricula.

SELANDIA.

DE Selandiæ meæ situ extat Gerardi Nouiomagi epistola non inelegans. Dicit ille totam *Selandiam* XVI, insulis ac totidem oppidis constituti, fertilem esse regionis agrum, multoque diligentius coli, quam Hollandicum. Quod hic nascitur triticum multo & purius & candidius esse Hollandico. Mores esse indiscretos cum Hollandis; lingua citatiore nostrates esse. Portuum commoditate, merci-

mercimoniorum copia, & nauium numero Gerardus Hollandiæ præfert Selandiam. Coquitur hac insula sal candidissimus. Habet Selandia tres insignes insulas, *Vualachriam*, in qua Veria & Middelburgum oppida mercimoniis florent. *Schaldiam*, vbi Ziricea est opulentum, & non inconcinnum oppidum. *Suytbeuelandiam*, in qua duæ sunt vrbeculæ, Gousa, Romersuuala, Est hæc omnium Selandiæ Insularum amœnissima. Syluas habet locis aliquot, hortos quoque, in quibus est, quidquid natura produxit herbarum esculentarum. Pomaria passim amplissima. Hic mensibus vernis auium genus subsilire, circumuolitare, colludere, deliciari videas. Hic vel studere, vel obambulare, vel cum amiculo confabulari, vel cibum capere, vel cum sodalibus lusitare summa est voluptas. *Gousa* oppidulo, quod dixi, vicina est Barlandia, locus adeò & fertilitate ac rerum copia, & ædificiis & littoris amœnitate præstans; vt non immeritò de hac dicere possim, quod de Baiis Horatius dixit:

Nullus

Nullus in vrbe locus Baiis prælucet amœnis.

Item poeta Matialis:

Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias,

Laudabo dignè non tamen satis Baias.

Totus locus pratis irriguis paruisque cinctus est nemusculis. Dignam studiis, dignam Musis sedem diceres.

ITER COLONIA AGRIPPINA VIENNAM, INDEQ. VENETIAS, ET IN ITALIAM.

ITINERARII LIBER I.

Ex Hercule Prodicio Stephani Vinandi Pighij Campensis.

CONSCENDENTES naues ad Rheni ripam, è regione Bonnæ, & labore iumentorum per Rhenum aſcendunt Moguntiam. Rhenoque relicto per Mœnum aduerſum veheris *Francofurtum*, emporium celebre Germaniæ vniuerſæ Per Mœnũ recta *Norimbergam* contẽditur. inde rectà Herbipolim (Erebipolim vocat Celtes poeta) peruenitur, vrbem antiquitus celebrẽ fano Dianæ, nunc vero Pontificali ſede, Principatuque imperii inſignem. Caſtrum ibidem

dem situ, operibus atque opportunitate munitum valde, atque ædidciis peramplum.

Pontem Mœni transgresso monumentum nefariæ cædis occurrit, ad clivum montis Episcopo Melchiori Zobello erectum: qui ante annos aliquot eo loci propter Religionis Catholicæ, & iustitiæ defensionem à sicariis qu busdam, ad Senatum iturus, crudel ssime fuit trucidatus.

Ibidem

Liberi patris spelæum amplum, profundum, & obscurum, operarum multitudine & labore in ipso monte cauatum.

Ad Quinctiana (*Quinzingam* nunc appellant) peruenitur: inde NORIMBERGAM itur,

NORIMBERGA.

VRBEM illam obscuris initijs, æquitate legum, & recta reip. constitutione in tantam successu temporum amplitudinem excreu sse constat. Cùm enim Hunni latissima populatione vastarent Europam, & ab iisdem barbaris premerentur eti m Norici, incolarum præcipuas quasdam familias in Herci

Herciniā siluā, velut in latebras, profugisse: & vbi Pegnesus & Regnesus amnes cōfluunt, oportuno loco sedem fixisse: atque in colle vicino natura loci firmo & ab incursionibus tuto rudi opere castellum muniisse, tradunt Noricorum annales. Auctam deinde multitudinem esse ex vicinis agricolis ac Herciniæ siluæ pastoribus: atque diuersorum morū & artium ex colluuie non pòst in oppidi magnitudinem excreuisse locum. Sed cùm fera gens sine duce, sine legibus viuens, rapinis ac latrocinijs dedita diu infestas redderet vicinas prouincias: visum fuisse Imperatoribus Germanis, veteranorum coloniam eò deducere, & castrum præsidio munire, latrocinia compescere, & inquilinis leges viuendi præscribere. Henricum Bauarum ciuitatis formam constituisse. primùm templo S. Egidij ornasse, iura dedisse, atque castrum ampliore muro cinxisse, quidam tradidêre. Conradum Imperio coniunxisse, liberamque declarasse. Popularem reip. gubernationem ab initio fuisse, demonstrauit. Vna tantum ciuili discordia, atque seditione, Caruli IV. Imp. tempore in aristocraticam esse mutatā, eiusdemque

tunc

Reip. Norimbergensi aristocratica constitutio per Carolum IIII. *Imp.*

tunc auspiciis rerum gubernacula in potestatem patriciorum peruenisse: & eosdem hactenus tam æquo iure temperasse rempublicam vt vix vlla memorabilis secessio, aut perniciosa discordia in tanta plebeiorũ hominum multitudine, ac gentium diuersitate suborta fuerit. In vrbe tres ordines esse, patrum videlicet, mercatorum, & operariorum siue plebis. Familias esse veteres & honoratiores viginti octo, ex quibus semper senatus corpus, siue patrum collegium suppletur: Idemq; cõstare sex & viginti viris. Ex his tredecim magistros ciuium appellari, & de republica simul consultare: alios tredecim populari lingua Scabinos dici, & fastis fere diebus iurisdictionem inter ciues exercere, assidentibus semper stipendiariis iurisconsultis tribus. Leges auitas sic velle, ne quis professione iurisperitus, aut titulo doctor, ad senatum aut reipublicæ gubernacula admittatur. Ex bifariam sic diuiso collegio consules vtrimque singulis mensibus renouari, vt vnus semper ex vnaquaque parte semel in anno per mensem integrum lunarem, cum insignibus summi magistratus prodeat: atque illa

Tres ordines in Reip. Norimbergensi.

Iurisconsulti legibus à rep. semoti.

Consul menstruus.

illa per lunationes tredecim cum annua solis conuersione in orbem redeant. Esse quinque viros ex eodem ordine, qui crimina inquirunt, dijudicant, & noxios puniunt. Esse prætorem suburbanum, qui rusticis & paganis reipublicæ subiectis ius dicit. Quæstores item ærarios ex eodem ordine duos annuatim creari senio, fide, ac probitate conspicuos, qui vectigalium ac redituum totius ciuitatis curam gerũt, pecunias publicas recipiũt, ac dispensant. Dictos omnes magistratus, ceterosque alicuius potestatis ex senatu & solo patriciorum ordine constitui. Ducentos duntaxat ex tribus ordinibus ac tota ciuitate quotannis nominari, qui semel in anno, & vbi res arduæ postulant, à magistratibus conuocati coeunt, & in commune consultant. Mercatorum ordinem, licet amplissimum, à publicis oneribus liberum esse, atque immunitatibus multis gaudere: ideoque priuatas opes negociationibus variis ex Europa non solùm, sed etiam extremis orbis terrarum regionibus ac insulis eò, velut in horreum congeri. Operariorum atque artificum, qui postremus & plebeius

Commune triũ ordinũ concilium ducentorũ.

Mercatorum ordo.

Operariorum ordo.

plebeius est ordo, nulla admitti in vrbe conuenticula vel conciliabula, publica aut priuata: non epulas solemnes aut conuiuia festiua multorum, nisi religionis aut exequiarum caussa. Paci etenim publicæ id perniciosum arbitrari, eò quòd sæpius compertum est, factiones seditionésque periculosas pullulare ex similibus plebiorum congressibus, dum ebrij inter se de rep. disputant: easdemque multis vrbibus libertatem ademisse, calamitates ingentes attulisse. Quod si quæ inter plebeios simultas, aut dissensio fuerit orta, non ad artium decanos, aut operariorum primarios eam deferri, sed ad ipsum senatum: qui confestim duos arbitros legit, qui rem cognoscant, & priuato colloquio pacem & concordiam tentent. Quæ si conciliari nequit, controuersiam ad senatum euocari, itemque partibus, caussa diiudicata, non sine graui multa silentium imponi. Magna seueritate pugnas, rixas, iniurias, & vim priuatis illatam, quietis publicæ conseruandæ caussa compesci; ita vt in quinqueuirali illo iudicio Minoa & Radamanthum suas vrnas assiduè mouere, quis diceret: Idipsum in officio

Modus componendi simultates inter ciues.

Iniuriarũ seuera vindicta.

in officio plebem quàmmaximè continere. A maioribus traditum Fridericum III. Imp. ex Italia Norimbergam redeuntem, ingentis obuiam vbique effusæ plebis admiratione motum, interrogasse quendam è senatu sibi proximè adequitantem: quanam arte, vel industria tantam multitudinem à seditionibus aut tumultu continere possent? Respondisse facete senatorem; verbis, & verberibus: atque ita breuiter insinuasse, bonos & ingenuos ciues facile verbis ac rationibus duci posse: prauos & seruiles multis, atque pœnis grauibus compesci debere. AEdes inprimis sacras religione, olim hic vidisses ornamentis, aut vetustate augustiores: vt D. Petri Apostolorum principis, corpore & sepultura S. Sebaldi celebrem, qui primus eius regionis incolas ad fidem Christianam vitæ sanctitate pellexit, post Caroli Magni tempora. Item S. Laurentij amplissimam Basilicam, & alia loca sacra visu digna. Deinde granaria publica tectis sublimia, & spacio, murisque per ampla, granis varij generis plena, & onusta: in quibus etiam frumenta quædam centum quinquaginta annorum asseruari ferunt.

Templum D. Petri.

D. Laurẽtij Basilica.

Granaria publica.

ferunt. Ostenditur aceruus nuda adipe granorum fatiscente sine folliculis, ex quo quondam Maximiliano primo Cæsari petenti panis est pistus. Videbis & armamentaria cum ingenti apparatu machinarum, & tormentorum: tubos æneos stupendæ magnitudinis, ferratis rotis impositos, & ad turres, & mœnia diruenda paratos: porticus militarias infinita multitudine hastilium ac telorum instructas: Quæ omnia particulariùs hic referre, longum nimis esset. Nec pigeat vrbis ambitum octo milium spacio patentem magna ex parte circumire, quadrato ex lapide secto structas ambitiosè portas, mœnia duplicia, lataque & propugnacula spaciosa, fossasque profundas perlustrare, turres ascendere. E quibus quam maximè placebunt æquis mille quingentorum circiter passuum interuallis dispositæ in interiore pomœrio exurgentes in altum supra muros & tecta, forma rotundæ, & magnæ spissitudinis; intus machinis bellicis æneisque tormentis armatæ, quæ tanquam speculæ, foris valles, & colles, omnemque vicinam regionem detegunt, ne quid hostium

Armamentaria publica.

Vrbis ambitus.

alicubi

alicubi in latebris delitescat, quod non ferreis tormentorum globis procul arceri possit. In vrbe quidem fora plateasque præcipuas aperiunt, ad inimicos concursus, atque ciuiles tumultus repentè exortos ex his disturbandos. Ascende deinde ad castrum Cæsareum per scalas è petra excisas, videbis Cæsarum aliquot, & Regum Romanorum domicilium; Palatinas aulas, cænationes laqueatas amplitudine patentes, & ornatu locupletes; Friderici Cæsaris hortos pensiles, pilis lapideis impositos; sacellum Cæsareum in arce picturis artificiosis, & diuorum imaginibus augustum, puteum in vertice collis excisum è saxis, tantæ profunditatis, vt aqua visum fallat, cuius tamen aqua rotis machinariis miro ingenio factis magna facilitate extrahitur. Videbis domum frumentariam & propugnaculum in arce veteri, & speculam regionum in summo colle turrim vastę molis altissimam, Sigismundi Imperatoris consensu eo loci intra menstruum tempus summa festinatione, & infinitarum manuum magna celeritate properantium labore suscitatã, quæ in ingentem cæli terræque tra-

Castrum Cæsareum.

Turris altissima Sigismundi Imperatoris.

ctum visum extendit. Descendenti occurrent ad radices collis magnificæ & regiæ domus, diuersoriaque spaciosa, quæ Cæsaris familiam & amicos magnificentissimè recipere possunt. Postea domus senatoria tantæ amplitudinis & magnificentiæ, vt in ea sæpè totius Germaniæ Principum, ac legatorum comitia & conuentus, Imperatorum auspiciis conuocati habeantur.

Curia.

RATISBONA.

NORIMBERGA per Hercyniam siluam Ratisbonam peruenitur, vrbem antiquam & populosam, Boiorum olim metropolim, qui à Romanis Italia pulsi, in Germaniam migrantes, Strabone teste, Hercyniæ partem & Istro vicina loca occuparunt, & apud Tauriscos sedem fixerunt. Alluit autem hanc DANVBIVS, quo loco NABAM LABARAM & IMBREM amnes recipit. Ab Imbre, populari idiomate, & vernacula lingua Re-

Nominis ratio.

gens-

gens pyrgum appellant : Latinè autem Ratisbonam, quod in illo trium fluuiorum concursu nauibus, & ratibus bonam & commodam stationem præbeat.

Propterea bellici apparatus sedem, maximi Principes aliquot olim hanc sibi fecere, quod commeatus vndequaque importandi per amnes ibidem confluentes habeat magnam facilitatem. Quam ob caussam in nulla Germaniæ vrbe, iam inde ab antiquis temporibus ad nostra vsque frequentiora celebrata comitia sunt : quibus etiam ipsi Imperatores interfuerunt. Tiberium Cæsarem bello Vindelico & Illyrico coloniam eò deduxisse, & Tiberianam nominasse quidam volunt, & ad custodiam limitum firmasse statione continua legionis IV. Italicæ, & nuncupatam propterea quoque *Quartanorum coloniam*. Ceterum constat Carulum Magnum Imperatorem liberata iugo Longobardorum Italia, eorumque rege Desiderio capto, cum aduersus Taxillonem Boioariæ regulum, Desiderij generum, eiusdemque confœderatos Hunnos duceret exercitum, & Taxillonem metu sese sua-

que omnia dedentem, captis obsidibus, clementer accepisset in gratiam: Hunnos perduelles, Christianæ religionis hostes, maximis cladibus ad internecionem deleuisse, & Ratisbonam eodem bellorum turbine inuolutam vi cepisse atque ad Christianam religionem compulisse. Successu deinde temporum vrbs illa bonis legibus constituta plurimum incrementi cepit: quãuis aliquando Principum Germanorum bellis ciuilibus variè cladibus fuerit affecta. Propter eius vrbis opportunitatem & annonæ facilem copiã, crebros omnium ordinum Imperij conuentus Augusti Cæsares eo conuocare solent. *Nunc quæ in vrbe visu erant digna, diligenter perlustra.* Inprimis basilicam S. Petri peramplam & magnificam, cuius sedem pontificalem VVolfgangus, & Erhardus episcopi, propter vitæ sanctitatem, & crebra miracula olim in Diuorum numerum relati, nec non *Albertus Magnus* sui sæculi in literis & philosophia phœnix vnicus, plurimum illustrarunt. S. Emerammi monasterium vetustate & ædificijs augustum, ab Arnulpho Imperatore muris inclusum & adornatum: in quod ipse

Basilica S. Petri,

victor

victor à Normannorum cæde rediens, Dionysij Areopagitæ ossa transtulisse dicitur, cum libro Euangeliorum aureis literis ornatissimè descripto. Vide Danubij pontem lapideum è quadratis saxis eleganter exstructum, qui ciuitatem cum suburbio iungit. Atque his omnibus iam perlustratis, ad Danubij ripam descende, vt ratibus impositas molarū aquarias machinas, videas, magnæ industriæ & ingeniosæ inuentionis officinas, nullo manuum auxilio, sed aquarum lapsu, & versatilium rotarum labore continuo, nocte dieque ad nutum vnius hominis operantes. Lignariæ moletrinæ (vt M. Catonis vtar vocabulo prisco) ostendent, vt vasti ponderis trabes, arbores etiam immensæ sua sponte ex vndis exurgentes in tabulata ac pontes, sese stridentibus subsilientium, ac multiplicium serrarum dentibus ingerunt, atque in plures vno tractu breui temporis spacio tabulas partiuntur. Chartariæ monstrabunt, quo pacto trabium pluribus pistillis magno strepitu linteorum fragmina tunduntur & in pultem conteruntur; vtque ex hac candidissimæ

Aquaria machina in Danubio.

Moletrina lignaria

Chartaria moletrina.

& tenuissimæ chartarum paginæ, in quibus omnis æui memoria permanet, facile ac festino labore formantur.

Relictis in dextra ripa Augustę ruinis, alijsque castellis, itur ad vrbem pulchram, episcopatu insignem, & mercimonijs opulentam, quam Passauiam nunc appellant à transitu; vulgari Italico potius, quam Latino vocabulo: quòd vndequaque, propter trium fluuiorum concursum merces ibi plurimæ transuehantur. Nam Oenus ex Alpibus à meridie profluens, & partem vrbis secans Danubio ibidem miscetur, & ex altera ripa Niger, quem & Ilicium vocant, à Septentrione proueniens ex Hercinij saltus paludibus ac montibus. Hunc in fuscis aquis suis etiam vniones proferre tradunt. Quidam olim Patauiam dictam vrbem fuisse volunt, alij Boiodurum Ptolemæi putant esse. Hic Diui Stephani summum templum marmoreis operibus pulcherrimum, magnificentissimeque adornatum visita, & alia eius vrbis insigniora perlustra. naues conscendens, rectà perge Viennam. Lentia ad ripam Danubij (vt eam vrbem vocat prouin-

Passauia. *Septentrio.* *D. Stephani templum*

prouinciarum populi Rom, liber, Linxiam nunc vulgo dicunt) tertijs statiuis Neopyrgum claustralem peruenitur ad radicem Cæsij montis, qui Noricos à Pannonijs distinguit, & vina sui nominis optima producit. Eaque de caussa nunc Caluum, nunc Cæsium vocant: quod siluis cæsis, maiore ex parte sit cultus vineis. Oppidum exiguum, monasterio peramplo vetusto, & Principum Austriæ donatijs locupleti celebre est, & duorum milium Germanicorum spacio dumtaxat à Vienna distat. In montis cacumine castrum ingens antiquum, veluti specula Danubio imminet, & quam longissimè visum in Pannones & Noricum protendit: olim Principum sedes, nunc desertum, ac patrum memoria machinis bellicis dirutum, cum Vienna muniri cœpisset: ne videlicet hostes barbari magnis sæpè copijs regionem latè populabundi vastantes locum munitissimum velut propugnaculum sibi occuparent.

Lentia nũc Linxia.

Neopyrgus claustralis.

Casius mons.

VIENNA.
PANNONICA.

VIENNAM, Pannonicam, quam Vindebonam veteres vocabant, mox appellitur. Hic est insula Danubiana Comariensis, quæ patet in longum miliaria Germanica duodecim, in latum VII. Oppidum est exiguum, Turcicis populationibus sæpe vastatum: nunc tamen castro munitissimo nobile: quod Ferdinãdus I. Imperator eo loci magnis sumptibus extruxit ad vicinæ regionis tutelam aduersus barbarorum incursiones, posuitque in angulo extremo Danubianæ insulæ, veluti in nauis cuiusdam magnæ puppi, vbi duo fluminis rami denuo confluunt, & vtramque ripam stringentes, in formam mucronis exacuunt. Hos ramos fossa ductitia lata, profundaque iungit, & à fronte castrum ab oppido separat, quæ ponte sublicio, versatilique transitur, Quo fit, vt forma castri sit triangularis, sed tanquam iacentis in solo pyramidis. Cuius vt cacumen fastigiatum longitudine superat duos inferiores angulos

Comarii descriptio.

Castri situs & descriptio.

gulos;ita etiam è tribus propugnaculis, quibus vndique castrum munitur, vnum illud ad confluentes ramos inimicas terras respiciens altitudine sublimius,veluti quoddam per se castellum extenditur in medio flumine,& amplitudine superat alia duo,quæ in reliquis duobus angulis oppidi latera tutantur. Eius castri custodia Germanis militibus est commissa, qui perpetuo præsidio illud obtinent: nec quispiam exterus facile admittitur,ne vel ad visendum.Oppidum incolunt cohortes aliquot Pannonum,& vicinam ex omni parte regionem ab hostium incursionibus defendunt.

IAVERA.

IAVERAM versus, Danubio ad sinistram relicto,itur. Nihil occurrit in eo itinere, nisi visu triste, atque dolendum homini Christiano. Totus enim ille Pannonici limitis tractus Turcica rabie deuastatus est. Agri vbique cernuntur inculti, monasteriorum & ædium sacrarum ruinæ frequentes, pagi desolati, & vici

per campos rari, & exigui, in quibus vix aliud reperias, quam pastorum ac miserorum rusticorum quædam tuguria. Principum eò aduentum testatur ea ciuitas è propugnaculis ingenti æneorum tormentorum applausu. Iacet in barbarico, ad sinistram defluentis Danubij ripam, extensa ad dextrum latus amnis ibi Danubium influentis, cui nomen à nigredine *Coruus* est: à quo etiam nunc vulgo idiomate Germano vrbem ipsam *Raeb* vel *Raeff* nuncupant. Episcopatu est insignis, & mercatura, negociationibusque pro temporum statu non infrequens, ob situs opportunitatem. Natura etenim loci vrbs valde firma est, paludibus, Coruo, ac Danubio magna ex parte cincta. Castri reliquiæ antiquæ, & cippi sepulchrales cum sculpturis, & imaginibus togatis templi parietibus inserti, demonstrant vrbis vetustatem, & Romanorum olim eò loci fuisse hiberna. Nostro sæculo eandem Diui Cæsares Augusti Ferdinandus, & Maximilianus Imperatores muris ingentibus, fossis ac propugnaculis amplissimis adeo

Coruus fluuius.

mu-

munierunt, vt nunc videatur inexpugnabilis. Quapropter duo valida semper illam obtinent præsidia, Hungarorum videlicet equitum, & Germanorum peditum, quæ perpetuis eam excubiis ac stationibus aduersus Turcarum insultus, insidiasque tutantur.

Noricum ripense & Laureacū.

Per Cæsij montis siluas in Noricum ripenseitur, Danubium à dextris relinquendo. Valeriam & Carnos à sinistris, quatriduano itinere Laureacum peruenitur. Vrbs hæc amplissima quõdam & Romanorū colonia fuit cognomine *Aureliana Laureacensis*, legionū capax, mansioque sæpius Imperatorum: quæ sita est ad Danubij ripam in ostio Anasis, ex Alpibus in Danubium ibi defluentis. Nunc vero ex eius vrbis à Gothis, & Hunnis non semel deletæ ruinis remansit exiguum oppidum, ædificiorum tamen structura pulchrum & elegans, quod nomen etiam mutauit, & à dicto flumine nuncupatur Anasis. Videntur tamen extra oppidum non procul ab ostio, quo in Danubium fluit Anasis, in quodam colle fundamenta antiqui, vt apparet, castri, & ingentia quadrata saxa

ta saxa: in quibus templum summæ vetustatis à Christianis olim extructum adhuc extat, sed planè profanatum, ac ruinosum. Cuius parietibus inserta sunt quædam saxa cum sculpturis antiquis, è Romanorum ædificiis desumpta. In stylis lapideis quadratis portæ templi videtur chorus bacchantium Satyrorum, ac Nympharum: è quibus Satyrus vnus tibias, aliis subsilientibus, inflat. Nymphæ his intermixæ crotala pulsant, & tripudiant. Inter alia videtur item in saxo quadrato Europa tauro natanti insidens cuius cornu alterum sinistra tenet, stolata ad pedes vsque: dextera prehendit velum quod capiti eius lunæ corniculatæ quasi forma circumvolitat. Hæc iucunda visu propter summam antiquitatem. Plura etiam intelliges, eius generis monumenta inde auecta fuisse, & in alias ciuitates esse translata: & Laureacenses milites Valentiniani ac Valentis temporibus vicinos Danubij limites aduersus ingruentes barbaros munitionibus firmasse, atque id ex lapidea tabula, quam Viennæ videre est cum hac inscriptione:

Bacchantiũ chorus.

Europa tauro vecta.

Danubius munitus.

D.D.

D.D.D.N.N.N. VALENTINIANI, VALENTIS ET GRATIANI PERENNIVM AVGVSTORVM SALVBERRIMA, IVSSIONE, HVNC BVRGVM A FVNDAMENTIS, ORDINANTE VIRO CLARISSIMO, EQVITIO, COMITE, ET VTRIVSQVE MILITIAE MAGISTRO, INSISTENTE ETIAM LEONTIO, P.P. MILITES AVXILIARES, LAVREACENSES CVRAE EIVS CONMISSI, CONSVLATV EORVNDEM DOMINORVM TERTIO, AD SVMMAM MANVM PERDVXERVNT PERFECTIONIS.

Quod factum anno post Romam conditam ∞ CXXIII. post Christum natum CCCLXX. circiter, Magistrum armorum per Illyricum vocat hunc Equitium Comitem Ammianus Marcellinus libri XXIX. fine, vbi narrat Danuuiorum limitum muniti-
ones

ones istas Quadorum excitasse bellum. Iam vero præfectum legionis secundæ Italicæ Laureaci, ac Lentiæ tenuisse castra, ex libro prouinciarum populi Romani, quem *Notitiam Imperii* intitularunt, apparet. Ex ciuibus discces. Marcum & Lucam Euangelistas non diu post Christum passum salutiferæ religionis nostræ Laureaci & in vicinis locis prima fundamenta iecisse fides sit penes auctores. Testantur hoc saltem versus in turri publicati:

Legio II. Italica.

Marcus & Lucas Euangelist.

> *Hæc ex Laureaco reliqua est, his Marcus in oris*
>
> *Cum Luca Christi dogma professus erat.*

Vlterius proficiscere, Lentiamque à dextris relinquēs attingēs mansione tertia limites ditionis Saltsburgensis. Saltzburgum versus perge, saxosa & difficili per saltus & montium crepidines via, tempestatibus atque incuria superioris æui collapsa. Constat tamen eandem olim à Romanis militari opera per milia passuum vndecim diligenter fuisse in illo tractu muni-

Via per alpes à Rom. munita.

munitam, ſub Imperatoribus Septimio Seuero, & Antonino Caracalla, quemadmodum teſtatur lapis miliarius, quem medio itinere repererunt. Erat columna rotunda, pedum octo longitudine ad viam erecta, cum tali inſcriptione:

Lapis miliarius titulis Impp. Septimij Seueri & Antonini Caracallæ inſcriptus.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI, AVG. ARAB. ADIAB. PARTHICO MAX. BRITANN. MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POTES. III. IMP. VII. COS. II. P. P. PROCOS ET IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINO PIO INVICTO AVG. PARTHICO MAX. BRITANNICO MAX. GERMANICO MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POTES. XVI. IMP. III. COS. IX. P P. PROCOS. FORTISSIMO AC FELICISSIMO PRINCIPI, DOMINO INDVLGENTISSIMO.

. M. P. XI.

Hæ

Hæ notæ singulares per milia passuum vndecim ibi viam fuisse munitam significant: vnde pagus etiam antedictus populari lingua Stratzwald / quasi stratæ syluæ nomen accepisse videtur. Neque est quod quispiam existimet eo primum tempore à iam dictis Imperatoribus viam illam per Alpes munitam ac ductam fuisse: iam enim à ducentis amplius annis antea, vt Sex. Rufus V. C. *breuiarium* incrementorum Imperij Romani Valentiniano Imperatori scribens testatur, sub Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias, vt appellat, legionibus iter est factum. Atque hinc *Iulias* appellari in eo tractu cœpisse, plures docti autumant, quod ex Gallia Cisalpina Iulius Cæsar in Illyricum, & postea Augustus in Noricos, & Pannoniam cum legionibus sæpe transierit. Tunc primum Romana potentia in Alpium illa parte planari, ac sterni viæ, atque etiam castellis præsidijsque firmari incœperunt, quo facilior exercitibus Romanis itus ac reditus esset. Quin etiam perhibent antiquitatum studiosi & regionum illarum periti quidam, etiamnum temporis

Strata syl ua pagus vnde dictus.

Castella & præsidia in Alpibus quando.

poris ibidem nõ procul à Carnorum Noricorumque finibus in arduo monte, quem CRVCIS appellant incolæ, viam amplam cerni vastis rupibus excisam, quam *Zieliam* nunc corrupta voce, pro *Iulia* nuncupant, legique in eiusdem planis parietibus C. Iulij Cæsaris nomen ac titulum literis magnis, sed admodum vetustate consumptis, quibus significari scribit Leander Albertus, C Iulium Cæsarem Procos. viam inuiam solertia & impendio suo rotis peruiam reddidisse. Quare credendum omnino est, ab eo deinceps tempore Romanorum cura vias illas in Alpibus conseruatas non solùm, sed etiam operibus ampliatis faciliores, atque frequentiores esse factas.

Mõs Crucis

C. Cæsaris monumẽta in Alpibus.

Proficiscere inde Saltzburgum vrbem nobilem antiquitate, & opulentam mercimoniis: quam olim *Hadrianam* dictam fuisse quidam produnt Historici, fortassis à colonia eò deducta, Hadriani Imp. auspiciis: quem Sex. Aurelius Victor, aliique memorant prouincias omnes circumiuisse restaurandarum vrbium coloniarumque causa: in cumque finem sem-

Saltsburgus ciuitas olim Hadriana dicta, Romanorũ Colonia.

ſemper ſecum duxiſſe architectorum, fabrorum, lapicidarumque, ac omnis generis artificum cohortes extruendis mœnibus aptas, & centuriatas ad ſpecimen legionum militarium. Vnde *reſtitutorem* ipſum orbis *terrarumque prouinciarumque*, nummi veteres plures appellant, qui eius in honorem cuſi reperiuntur, Poſtea *Iuuauiam* à vicino caſtro & flumine appellatam quoque fuiſſe, teſtantur annales veteres Archiepiſcoporum eius vrbis, & verſus antiqui in templo, qui leguntur exarati:

Iuuauia Saltsburg dicta.

Tunc Hadriana vetus, quæ poſt Iuuauia dicta,
Præſidialis erat Noricis, & Epiſcopo digna
Rudberti ſedes, qui fidem contulit illis
Chriſti: quam retinet, Saltsburgũ ſero vocata.

Et meminerunt Iuuauiæ itineraria Romana inter Laureacum & Oenipontem hanc non ſemel locantia, Rupertus vel Rudbertus autem Epiſcopus ex regia

gia stirpe Francorum ortus, à Duce Berchario Christianæ religionis hoste pulsus è Vangionibus, per Noricum, Valeriam, vicinasque regiones doctrina & vitæ sanctitate fidei nostræ (post vastatas diuersis cladibus barbarorum furore Christianas per Europam vniuersam prouincias) certa prima fundamenta iecit, Heraclio (vt asseritur) imperante, fultus auctoritate & potentia Theodonis Baioariorum regis: cui diuini spiritus gratia ac virtute persuaserat, vti relictis idolis; vnà cum proceribus, populique magna frequentia sacri baptismatis fonte religioni Christianæ initiaretur. Ab hoc conceditur Ruperto, vt in Iuuauiæ desertis ruinis ab Attila, Hunnisque ante centum amplius annos funditus euersæ, ad amnis Iuuauij ripam sedem figeret, oppidumque exstrueret, Donatur etiam vir sanctus proprietate territorij circumiacentis, qui inter ruinas, vt dixi, & virguita coloniæ veteris cœnobium, ac basilicam extruxit in honorem principis Apostolorum D. Petri, & ibidem instituto discipulorum selecto seminario, ex quo transferri nouellæ plantæ in vicinas regiones

Rupertus Episcopus primus eius loci.

Theodo Baioariorũ rex.

Iuuauia ab Attila Hũnisq; euersa Iuuauius amnis.

nes p cſſent, veluti d l gentiſſimus agricola vineam Chriſti breui tempore per Noricum vniuerſum, Valeriam, Pannoniæque fines, & inter inalpinos populos latiſſimè propagauit. Qua de cauſa nunc etiam *Germani* ſuperiores *Rupertum* Apoſtolum Bauariæ, Auſtriæ, & Stiriæ nuncupant. Locus ſucceſſu temporum, & Epiſcoporum ſucceſſorū prudentia in peramplæ ciuitatis formā excreuit, adeo vt nunc vicinarum prouinciarum ſit metropolis. Poſtea verò cum Iuuauij fluminis nomen, neſcio quare, mutaſſent incolæ, *Saltzam* lingua populari appellantes à ſalinis fortè propinquis: tum & vrbis nomen mutari in *Saltzburgus* cœpit. Mirabitur hic hoſpes auguſtam ædificiorum formam: cænacula, porticus, atria, xyſtos admodum ſpacioſos, tabulis pictis, ac chorographicis, ornamentisque ſuis omnibus opulenter inſtructos: parietes acernis tabulis veſtitos, ſculptilibus parergis elegantibus conſpicuos: tecta ac lacunaria auro & argento laqueata, picturis, ſculpturisque artificioſis diſtincta: cubicula thoris, auleis, & ſtragulis ex holoſerico atque omnigena precioſæ ſupellectilis ſynthe-

Rupertus Bauariæ Apoſtolus.

Archiepiſcopus Carulum ex ſipis.

ſyntheſi adornatiſſima : hortos amœniſſimos, fontium artificioſis ſcaturiginibus,& diligenti arborum herbarumque cultura ſpecioſis. Ex Palatio deinde deſcenditur in templum cathedrale D. Petri, ſtructura operibuſque peramplum, & vetuſtate venerandum. Monſtrantur diuorum Ruperti, Vitalis, atque Virgilij primorum eius vrbis Epiſcoporum monumenta; martyrum, diuerſorumque ſanctorum hominum reliquiæ donaria maximorum principum, auro gemmisque ſplendida, veſtes ſacræ atque omnis ſeruitij diuini apparatus inſignis. Inde arcem viſe vltra flumen in eminenti montis ſpecula poſitam: ex qua tueri vrbem, & hoſtium inſultus procul arcere poſſunt. Porrocum iam ante pluri ma ſæcula D. Auguſti auſpiciis,& Ti. Cæſaris ductu, inalpinæ gentes Ræti, ac Salaſſi, mox vltra Alpes Vindelici, Norici ac Pannones bello moleſtari & ſubiugari cœpiſſent; locum illum Romani inter alia ad Alpium fauces vlteriores ſitu oportunum ac tutum caſtro præſidioque firmo munierant; ne occludi ab hoſtibus poſſent, & vt

Templum cathedrale D. Petri.

Diuorum reliquiæ.

legionibus via semper per Alpes patere in prouincias vlteriores. Vnde pręsidiϱ, amnique vicino nomen militari vocabulo ex officio & effectu volunt inditum, & à iuuandis viis, ac expeditionibus castrum Iuuauiense, & amnem Iuuauium appellatum: Qui ex Alpibus ortus Teriolanis per Noricum delabens, Oeno primum, ac deinde Danubio apud Boiodurum miscetur. Videntur etiam Romani castrum idem faciliore vocabulo per syncopen Iuuense nominasse. Nam in libro prouinciarum populi Romani legimus, præfectum legionis primæ Noricorum militum Liburnariorum cohortis quintæ partis superioris, stante adhuc Imperio, ad Iuuense in præsidio fuisse, sub dispositione Ducis Pannoniæ primæ, & Norici ripensis. Subacta Augusti, vt diximus, auspiciis vicina prouincia, cum Romano imperio adsuescere, & pace frui incepisset: vrbs in aduersa ripa sub castro accrescere, & commercio Romanorum florere simul, & ab ipso flumine, vicinoque castro Iuuauia vocari cœpit. Coloniam verò Romanorum eò fuisse ab Hadriano Augusto deductam, haud obscuris

Iuuauia vnde dicta

Iuuauius amnis.

Castrum Iuuense.

obſcuris argumentis liquet: cum quod Hadrianam quoque nuncuparint, velut antea probauimus: tum quod iure legibuſque Romanis vſi, magiſtratus ſuos decuriones, ac duoviros iuris dicundi more coloniarum veterum ea ciuitas habuerit, quemadmodum epitaphiis, marmorumque titulis antiquis apertè conſtat. E quibus vnum adduxiſſe ſufficiet epitaphium: quod non procul inde ad eiuſdem fluminis ripam in oppido Burcuſano reperitur tale.

L. BELLICIO. L. F.
QVARTIONI.
DECVRIONI IVVAVIENSIVM II. VIR. IVRIS DICVNDI. VIX. ANN. LVII. SAPLIAE. BELLATVMARAE CONIVGI.. VIX. AN. LXII. BELLICIVS. SECCIO. ET BELLICIVS. ACHILLES CVM, CONIVGIBVS, EX TESTAMENTO. FACIVNDVM CVRAVERVNT.

Ex antiquitatum reliquijs eruendā historiā esse.

Atque hoc quidem pacto, quæ præ vetustate, historiarùmque inopia obliuionis & ignorantiæ tenebris sunt inuoluta, iam libris veteribus abolitis, ex qualibuscunque antiquitatum reliquijs saxorumque fragmentis, quibus maiores nobis multo prudentiores memoriam rerum suarum posteris reliquerunt, in lucem eruere fas est. Sic etiam Imp. L. Septimij Seueri temporibus vrbem istam *Iuuauiam* appellatam fuisse, saxum aliud antiquum docet extans Saltzburgij in æde sacra D. Ruperti, cuius hæc est inscriptio:

IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII. PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB. PARTHICI MAX. ET. IMP. CAES M. AVREL ANTONINI. AVG. PARTHICI MAXIMI. COL. HADR. IVVAV. D. D.

Castri Iuuauiensis descriptio. Gebhard. Episcopus.

Ceterum de vrbis huius origine & antiquitate iam fortè nimis multa. Pergendum in castrum Iuuauiense. quod olim Attilana, Hunnorumque barbarie funditus cum vrbe euersum, ab Gebhardo episcopo primum excitari ex

tari ex ruinis suis cœpit, post nostræ salutis annum millesimum quinquagesimum circiter, cùm iam annis amplius quingentis iacuisset desertum. Ampliarunt ædificijs successores eius locum situ ac natura ab hostili incursione rutissimum. Sed patrum denique nostrorum memoria principes Archiepiscopi, post bellum rusticum quo tota ferè Germania superior tum quasi seruili tumultu libertatis Euangelicæ prætextu flagrabat, & vastabatur, turribus, muris, ac propugnaculis spissis adeo munierunt, vt nunc inexpugnabilis arx videatur. Vnus patet dumtaxat ad arcem accessus, via ardua ac difficili rupem circumambiente, quæ tandem per ligneum pontem sublicium introducit. Cingitur alioquin in circuitu præcipitio vasto, nec à vicinis collibus aut montibus propter distantiam tormentis oppugnari potest. Custoditur continua militum statione, nec admittuntur ad interiorem eius conspectum peregrini aut ignoti: nisi vel cum principe veniant, vel ab ipso tesseram adferant. Admirabere antiquissimam illam pulcherrimi operis æneam statuam

Bellum rusticum.

Statua anea antiqua pulcherrima.

tuam humana ſtatura maiorem nudi iuuenis ſtantis in rotunda baſi; in cuius fœmore dextro duorum nomina, quorum cura & impenſis tranſportata in prouinciam & erecta fuit, leguntur his notis inſcripta:

A. POBLICIVS. D. L. ANTIOC.

TI. BARBIVS. Q. P. L. TIBER.

Et non diſſimilis eſt illi marmoreæ quæ Romæ viſitur in hortis pontificiis ſub Vaticano, & putatur Genius Principis vel Antinoi illius eſſe, quem Hadrianus Imp. ſibi chariſſimum, & morte præpropera ſublatum, numero deorum adſcribi iuſſit: & cuius ob memoriam vbique terrarum templa, aras ac ſtatuas erigi, ſacra, ſacerdotes ac flamines inſtitui voluit. Atque vt etiã æternitati eum magis conſecraret, in Ægypto, vbi in Nilo periit, vrbem cõdidit, & ex ipſius nomine Antinoi-polim appellauit. Hanc vero ſtatuam, vaſtantibus Romanas prouincias barbaris, è Iuuauia Hadriana, vel alio loco vicino auectam inter montes, ſepultam in terra, abſconditamque fuiſſe conſtat. Nam abhinc ante

Antinoipolis.

annos

annos LXX. primum à rustico, dum agrum foderet, est inuenta, in monte S. Helenæ apud oppidum S. Viti: vnde eandem postea Matthæus Langius à Wellenburg Cardinalis & Archiepiscopus Salizburgensis, transtulisse dicitur, vt erat antiquitatum & virtutum omnium summus cultor & admirator, doctorumq; virorum Mæcenas sui temporis maximus.

Est porro hic Archiepiscopatus inter totius Germaniæ Principatus etiam non modo auctoritate, verum etiam opibus & diuitijs minime postremus. Vix enim vllus est Princeps qui plures ac meliores numos tam aureos quam argenteos olim cuserina. Tum incredibile est, quantum emolumenti sal, cuius innumera pæne vis hinc ad exteros eueh tur, & toti ditioni, & ipsi inprimis Principi è vectigalibus conciliet. Nec illud spernendum, quod montibus vndique tam cincta quam referta regio, hostilem vim omnem facile tam eludere quam elidere queat.

Noricum mediterraneum.
Alpes Rhetica.
Teriolensis prouincia diues ac abundans.

Tum per Noricum, Mediterraneum, versus Alpes Rhæticas contendes, tertioque post die peruenitur in comitatum Teriolensem, familiæ Archiducum Austriæ, prouinciam, Alpibus licet inclusam & extentam per ipsa iuga Rhætica: fructuum tamen, rerumque ad vitam humanam necessariarum, nec non auri, argenti, metallorumque omnis generis optimorum copia tam locupletem ac diuitem: vt eam laptissimè & admodum facete Maximilianus Aug. Ferdinandi proauus hanc rudem & agrestem rustici tunicam appellare consueuerit, multis quidem plicis & rugis horridam, ac deformem: valdè nihilominus bonam, calidam, ac commodam esse dicens. E montium enim visceribus ingentes hauriuntur metallorum thesauri: cacumina vastis siluis, ferarumque plena sunt; colles & cliui frugibus, vineis: valles fluminum ac fontium aquis irriguæ, armentis & pecoribus refertæ sunt; quæ pabulo non minus, quā lacus & stagna inter mōtes spaciosissima varijs & optimis piscibus abundant.

undant. Itaque Comitatus iste non solùm Ducatui (vt nunc principum dominia appellant) verum etiam regno diuitijs potest æquiparari. Inde appellitur Suatium, vbi antra Cyclopum, & metallorum fodinæ multæ visuntur. Pagus est magnus, forma viarum & ædificiorum pulchritudine, populique frequentia cuiuis oppido celebri comparandus. Adest mox fodinarum architectus, metallicæ rei peritissimus. Pergitur extra pagum ad montium prærupta, vbi multa fodinarum antra à longè visuntur: E quibus quicquid metallici exscindunt, carris euehunt, superfluaque in tumulos egerunt, & veluti montes montibus imponunt: adeò vti videantur vastæ rupes sua viscera euomere, ac sensim nouos montes producere. Nec procul inde sunt officinæ, in quibus metalla præparantur, ac discernuntur. Mira, & valde iucunda ibidem consideratio, vt ingenij humani industria, atque ipsa natura se mutuo iuuent: & vt hæc varijs machinis coacta seruire cogatur; præsertim aeris & aquæ vis fluida & mobilis, Riui enim ingentes è montibus

Suatium pagus, vel municipiū potius.

Metallorū officina.

deducti per canales & tubos rapido lapsu rotarum magnos ad concauos orbes circumagitant impetu tanto: vt earum quælibet multarum rotarum ac machinarum labyrinthum quendam continuo motu perniciter voluat, & quatiat cum tanto strepitu, vt in Vulcanijs antris Cyclopum mallei, incudesque maiorem non possent reddere. Ostendet primum Architectus varias lapidum, ac marmorum species è montium venis excisas, è quibus aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, aliaque diuersa metalla possunt expurgari, Monstrabit multiplicem eorum mixturam non solum, verum etiam æris atque argenti ramos ac virgulas, quemadmodum in venis reperiuntur. Insuper & aurum, quod coctione habet opus, donec ab argento fuit separatum: excoctumque vocant *obrizum*, cum igneo colore rubet & resplendet, vt Plinius libro XXXIII, cap. III. docet. Aliud itē, quod omnino purum, & ignis expers est ostendet: quod à Græcis ἄπυρον appellatur. Docet deinde, purarum venarum fragmina in capsulas conijci, atque præferratis pistillis tundi ab aqua-

Antra vulcania.

Metallici lapides.

Aeris & argenti virgulæ ac rami.

Aurum obrizum.

Modus secernendi metalla.

aquaria rota versatis, ac tenui mox cribro secerni: transmeantem puluerem moli, non transmeantem rursum pistillis subijci, atque amplius tundi. Lapides vero grossiores, quibus metalla sunt mixta, primum malleis minui, lauari in lacunulis, ac pilis agitari in alueo, cribrari, ac demum moli. Et hæc omnia, priusquam materia metallica per fornacem excoquatur, confleturque. Ducêris deinde ad conflatoriā officinam, vbi metalla in fornacibus excoquunt, liquefaciunt, argentumque ab ære cuproue secernunt. Folles ingentes aquaria rota subleuati assiduo flatu, continuoque motu magno cum fragore flammas in fornacibus excitant: adsunt operarij, qui metalla superius inijciunt, & alij, qui resolutum & à contusis saxis separatum ex inferiore fundo magnis cochlearibus exhauriunt, & in modulos transfundunt. Ante fodinarum ostium stant operarij plures habentes vehicula lignea trusilia, quatuor in ferreis rotulis currentia, quibus singulos excipiunt,

Officina conflatoria.

atque prælucentibus tædis per montis trabibus suspensi cauernas, & cuniculos vehunt ad tria milia passuum priusquam perueniant ad puteos, & ad aquarias machinas. Strepitus ingens aquarum sub trabibus per obscuros meatus labentium horrorem sæpius incutit. Magna etenim aquarum vis per montium fissuras frequenter influit in fodinas, atque puteos, quibus opera impediuntur metallica, operariique etiam aliquando submerguntur. Quapropter ingens, & sine vlla intermissione labor est adhibendus ad exhauriendum aquam cõtinuè per meatus varios exundantem. Eademque necessitas varia instrumenta, & machinas excogitauit: quibus è maxima profunditate puteorum, qui nonnunquam ad quadringentas orgyas excauantur, affluentes vndas egerant. Cochleis ab Archimede primum inuentis ad aquas diuertendas & in altum eiiciendas vsa fuit olim AEgyptus, teste Diodoro: sic nunc etiam incredibiles fiunt in hunc finem impensæ, inæstimabiles exantlantur labores. Sed visu imprimis digna machina aquaria, quæ sua facilitate

Aquarum in fodinis fluxus.

Artiũ magistra penuria & necessitas

litate ſuperat omnes eius generis fabricas, vel à veteribus vel noſtro ſæculo inuentas. Rotæ binæ, quas bigales appellem, cylindrum medium voluunt ac reuoluũt, huc illuc alternatim contrario aquarum fluxu impulſæ, quarum riui vniuerſi per canales ac tubos in rotarum alas lacunatas ex alto ducuntur. In cylindro groſſo catena bis terue quaterue circũuoluta duos culeos magnos in æquilibrio inter ſemicirculares anſas ferreas, quò facilius effũdantur, ſuſpenſos, in diuerſum perpetuo motu trahit. Quorum quilibet ex tribus pellibus bubalis vnctis ac recentibus conſutus, & ferreis circulis in formam trochi turbinatam extentus eſt, in eam amplitudinem, vt dolia liquoris ferè ſex aut ſeptem capiat. Trahit, inquam, in diuerſum culeos perpetuo motu catena, plenum alterum aqua è putei fundo ducens in altum, vacuum alterum, & effuſum ſimul reducens in profundum: prout cylindri rotundum corpus ab vna parte catenam erigens, ab altera demittens, alternatim voluitur. Atque ea proportione, vt, dum effuſus ad putei fundum veniens culeus aquam haurit,

Rota bigales cum cylindro.

Culei doliorũ ſeptem,

haurit, alter extractus extra puteum suam effundat. Adsunt vtrimque prope rotas duo lacus lignei perampli, plurium doliorum capaces, quibus astant semper operarij duo, qui culeos, rotas, & fluentes ex aduersis partibus aquaeductuum riuos obseruant, opus suis quisque vicibus alternantes. Dum enim hic in dextro putei latere culeum exurgentem excipit, eius labrum applicat vnco ferreo è fronte lacus prominente, simulque riuos aquaeductus vicini ad rotam vertit, in canali tabulam aquis obiectam se mouens: interim culeus vnco implicitus inuertitur, & suum onus aquarum effundit in lacum, ex inde per canalem magno cum impetu in rotam currentium, quae per alios ductus eas extra fodinas eijcit. Et eius interim socius à sinistris alteram rotam aquaeductus sui contrario fluxu, canalem tabula obturans, liberat, vt eadem mox vacua gyrum inuertens alteram aquis onustam sequatur. Atque haec sedulò curāda sunt apprimè, vt simul hi duo semper laborent, & vicissim alternent opera contraria, vt dum vnus à dextris aperit riuos, & rotam suam aquis onerat

Obseruatores operarii duo

nerat, alter à finiſtris claudat, & ſuam euacuet, Ac è contra, dum hic rurſus aperit, ille claudat. Quo fit, vt vna rota laboret, altera ſequatur; vnus culeus effundat, alter in fundo putei eodem momento hauriat. Alioquin contingeret, vt contrariis aquarum fluxibus ſimul impulſæ rotæ non ſolum ſiſterentur, ſed etiam confringerentur. Verùm hac viciſſitudine diligenter obſeruata, mouetur machina tanta cum celeritate, vt interdum igneæ ſcintillæ excutiantur: & quatuor dumtaxat manus mira cum facilitate montis totius concauitates vicinoſque puteos, in quibus lapicidæ operantur, exſiccent, rapidos fluuiorum inſtar torrentes, è rotatum canalibus euoluant nocte dieque. Qui mox per cuniculum ſubtus eius tabulata, alioſque meatus cæco murmure defluunt extra montem in proximas valles. His viſis, monſtrabit fodinarum architectus profundiſſimos puteos, e quibus metallica ſaxa lapicidæ malleis exſcindunt; & qua ratione materiam omnem hauſtoriis vrnis è machina tractoria pendentibus (quam

Putei è quibus extrahuntur metalla.

due

duo in orbem torquent) extrahant, trusilibusque vehiculis per cuniculum euehant.

Hala Teriolana.

Halam itinere horarum ferè trium inde distans oppidum properandum. Hala à salinis vicinis nomen habens, duarum horarum itinere infra Oenipontem sita est inter altissimos Alpium montes ad dexteram Oeni defluentis ripam. Et quamuis non admodum sit magna, ædificiis tamen pulchra est, fontium aquarùmque riuis amœna, nobilitate frequens, & metallicis negotiationibus diues, In hac vrbe prudentissimus princeps Ferdinandus Aug. parentum memoria peramplum à fundamentis exstruxit Palatium, cum templo pulcherrimo contiguo, ad virtutum gymnasium: vbi à primis vnguiculis in tenera ætate filij atque inprimis filiæ, quas plures habebat, ab aulica contagione semotæ possent educari, & principe dignis artibus instrui. Mox descenditur è Palatio ad contiguum templum pietatis Austriacæ monumentum insigne. Ferdinandus enim Imp. Augustus templum illud cum collegio vicino structuræ elegantia è saxo quadrato

Ferdinād. Imp. Aug.

Templum Halense sumptuosū.

drato valde conſpicuum, ſtatuis tabuliſque pictis ac vitreis feneſtris eximiorum artificum, omnique ornatu interiore penitus auguſtum reddidit. Oſtendunt ſacerdotes æditui reliquias, aliaque inſignia templi ornamenta quæuis; tranſeunteſque in cimeliarchium templi, capſis apertis monſtrant theſaurum ſacrum rerum precioſiſſimarum omnium, apparatum videlicet diuini miniſterii ditiſſimum; donaria ex auro, argento, diuorum reliquias conſeruantia, gemmis, ſculptiſque figuris artificioſis ornata, tabellas atque imagines pictas ex minutiſſimis plumis verſicoloribus Indicarum auium ingenioſiſſime conglutinatas, vt penicillo, coloribuſque non poſſent artificioſius elaborari. Expromunt vaſa omnis generis aurea vel argentea inaurata, ſacris faciundis dicata, cantharos, calices, patinas, phialas, pelues, guttos, thuribula, aliaque diuerſa cælatura gemmiſque precioſis inſertis politiſſime fabrefacta. Aperiunt multiplicem ſyntheſin veſtimentorum ſacerdotalium, artificio, materiæ precio, & varietate concinnam, quibus ſacra obeun

Ornamēta templi.

obeuntium habitus profeſtorum qualitate mutari ſubinde poſſet. Proferũtur pallia, chlænæ, dalmaticæ, zonæ humerales, ac brachialia ex aureo, argenteo, holoſericoque panno, textilibus figuris aureis grauia, margaritis item ac vnionibus intertextis planè rigida. Eundum ad ſalinas, vbi ſalſos fontes è montibus vicinis per canales ſupra vrbem ductos in aliena deriuant ampliſſima. Subtus in fornacibus ingenti murmure ſtrident & flammas excitant folles aquaria rota moti: atque ſic ignibus excoquunt, & denſant hircino ſanguine infectam aquam, contiſque ſæpius motam penitus decoquunt, decocturam exſiccant, minuunt, atque in niuis candorem redigunt. Conſtipant deindè in alueis oblongis acuminatis, & in metas rotundas efformant. Singulare ac nouum eſt, videre baiulos illos qui vno humero, ceruice tantum ſuppoſita ſalis pyramidem trecentarum, quadringentarumve librarum pondo leuiter geſtant. Hinc pergitur ad Archiducis fabricam monetariam, vbi nouum noſtri ſæculi inuentum formandæ monetæ videtur: nimirum

Baiulorum robur.

mirum quo aurei, argenteique, æreique nummi non flando feriundove fiant, aut malleis cudantur, sed expeditissime prælis imprimantur. Aquaria rota impetu magno circumagit machinam ferream organo horologico non absimilem. Constat enim ex rotis dentatis multis sic inter se connexis, vt se mutuo impellant coactæ per rotam aquariam. Voluunt autem in medio machinæ iunctos duos cylindros ex chalybe in summam duritiem temperatos, Quorum vnus alteri superpositus est; & aguntur ambo simul rotis ill s dentatis contrario motu aduersum sese: vt superior deorsum, inferior sursum semper rotetur. In his cylindris artifice manu sunt insculptæ nummorum formæ vel characteres per circuitum, ea magnitudine & proportione, qua nummus iusto cum pondere suo debet exprimi. Habet autem in circuitu suo cylindrus quilibet tot formas eiusdem nummi similes, quot pro sua spissitudine capere potest: easque nonnihil extantes cum marginibus acutis à reliqua cylindri superficie, quo possint superabundans me-

Fabrica monetaria noui inuēti in qua nūmi prælis imprimūtur, non cuduntur malleis.

metallum è cælatura ſeparare, & è characteribus eiicere. In ſuperioris cylindri formis cælatæ ſunt cruces, aut principum imagines cum ſuis titulis atque parergis, quę in vno numiſmatis latere debent exprimi. Sic in inferioris cylindri formis, quæ in altero latere, ſcilicet inſignia Principum, aut ciuitatum, aut alia emblemata cum ſuis elogiis, & annorum notis, in quibus illa primum moneta formatur. Iam vero cylindri tam apte iunguntur inter ſe, vt formæ æqualiter, & ſumma cum proportione ſimul inter voluendum coniũgantur, nummique ab vtroque latere perfecti figuram abſoluant. Itaque nil aliud ibidem agit monetarius, quam vt laminas auri, argenti, ærisve, iam antea pro formandæ monetæ pondere, ac magnitudine præparatas, in orbem euntibus cylindris admoueat, & formis ſe claudentibus inſerat. Mox formæ laminam à fronte ſuis characteribus velut dentibus apprehenſum, attrahunt, deglutiunt, ſenſimque deuorant totam; & à tergo numiſmata perfectiſſime expreſſa eodem temporis momento

meuto cum excrementis metalli superfluis euomunt, & in pelum suppositam deiiciunt. Perlustra deinde tabernas monetariorū omnes, & vide vbique Nymphas operariorum labores quosque maximos gnauiter subire. Mouent enim hic rotis aquariis folles, & flammas in fornacibus excitant, vbi metalla liquefiunt, & temperantur; illic magno cum fragore plures malleos ordine, & vicissim in incudibus quatiunt; vti faber artifex nil aliud habeat quod agat, quam vti metalla calida malleis subiiciat, & extrahat, versandoque in incude, in eam, quam velit formam, tenuitatemque reducat. Laminas autem formis subiiciendas hoc fere modo præparant. Certum pondus metalli puri catinis iniectum liquefaciunt in fornacibus, adduntque mixturam: auro argenti tantum, & argento tantum æris, quantum permittitur lege monetaria imperiali, vel decreto principis, aut ciuitatis, cuius moneta formatur. Iam liquidū, ac ita temperatum fundunt in canales ferreos, & formant in bacillos bipedales, quos deinde, vt dixi, malleis subiici

Taberna monetariorū varia in quibus operantur aquarū ministerio.

subiiciunt, & extendunt in laminas crassas, aut tenues, latas, aut strictas, prout ratio, pondus, & magnitudo monetæ formandæ postulat. Itaque lamina facillime formas supplet, & eo minus superflui reddit. Formæ vicissim tantę perfectionis nummos proferunt, vt correctoribus parum negotii fiat, in iis ad æquilibrium, siue legitimum suum pondus per bilances redigendis. Per Oeni vallem proficiscere Oenipontem. Hinc adscendens in armamentarium Palatij, vbi perspaciosa tabulata monstrant armorum, telorumque omnis generis multiplicem copiam, exuuias, & hostium spolia insignia, Persicos acinaces, sagares (vt nunc etiam vocant) Scythicas, famateras Dacicas, sarissas Macedonicas, Ithyreos arcus, & sagittas, nec non pharetras variis picturis & coloribus ornatas. Sed inprimis placet equestrium statuarum turma barbarorũ principum ac ducum veris armis, ac spoliis opulentissimis instructa, & visuntur in suo singuli apparatu bellico, vestituque militari, Numidæ, Mauri, Parthi, Thraces, Thessali, Pannones, cataphractique Germani. Descende è

Pa

Palatio in vrbem, vt videas Patrum Societatis Iesu cœnobium, & Franciscanorum monasterium vicinum cum templo pulcerrimo, religionis, ac pietatis opera magnifica, quæ D. Ferdinandus Aug. è quadrato saxo magnis impensis construxerat. Præter alia templi ornamenta inprimis conspicuum est in eius medio intrantibus obuium Imp. Maximiliani primi monumentum, artificio, signis, & marmorum variorum precio sumptuosum & augustum, quod duo pij nepotes Carulus V. & Ferdinandus Augg. posuêre. Morantur aduenarum atque intuentium oculos artificiosissima signa, imagines, ac tabellæ in lateribus monumēti ex Pario marmore, in quibus eiusdem Maximiliani Augusti res pace belloque præclarè gestæ opere sculptili pulcherrimè repræsentantur. Circumstant ab vtroque monumenti latere per intercolumnia templi veterum Austriæ domus, heroum humana statura maiores, immò decempedales æneæ statuæ ad viuum in habitu atque armatura antiqua pro more cuiusq; sæculi factæ, cū titulis & elogiis suis, haud mediocrē maiestatē præ

Templa palatio vicina.

Sepulchrū Maximil. I. Imp. Au-

præ ſe ferentes. Has dum conſideras diligenter, ſuſpicias inprimis Gotefredi Bullonij Palæſtinæ ac Hieroſolymorum primi Chriſtiani regis ſpineam coronam. Et cum cauſam rogaret, reſponderetur que, fortiſſimum illum atque pijſſimum Principem poſt præclaras victorias, quibus Syriam, & Palæſtinam Turcis ac Saracenis eripuerat, Hieroſolymam ceperat, à confœderatis Chriſtianis principibus cunctis vno conſenſu in eius vrbis deuictarumque prouinciarum regem electum fuiſſe; principeſque confœderatos ipſum renitentem humeris ſublatum ad ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum portaſſe, vt ibi inter Miſſæ ſolemnia coronam atque inſignia acciperet: Regni quidē noui gubernacula conſenſu victum Gotefridum tandem acceptaſſe, coronam tamen, atque inſignia regalia accipere prorſus detrectaſſe; quod indignum ac nefarium iudicaret, hominem in ea vrbe incedere aurea inſignem corona, in qua rex regum Chriſtus pro noſtra ſalute ſpineam geſtaſſet, Eius igitur tam piæ mudeſtiæ propter memoriam optime meriti principis ſtatuas ſpinea corona

Gotefredus Bullonius cum ſpinea corona.

corona posteros decorasse. Et nobilissima quidem, omnibusq; maximorum Regum atque Imperatorum diadematibus aureis, gemmeisve meritò præferenda.

Armamẽtarium in Oeni insula. ibidem.

In Mulbach, in armamentario principum in Oeni insula sito monstrantur machinæ bellicæ, & æneà tormẽta vastæ magnitudinis, ac ponderis ingentis, quibus propugnacula, muri, & turres expugnantur, vrbes euertuntur. Vide ferratias officinas, & fabricas, in quibus thoraces, galeæ, clypei, ocreæ, & ferrea indumenta quæuis cuduntur, poliunturque; nec non in quibus ferreas fistulas formant, ac terebrant, per quas plumbeos globos, puluere sulphureo prius iniecto, summa vi torquent in hostes, equos homines que cataphractos facilè prosternunt lethali vulnere. Inde perges simul ad villam vicinam Ferdinandi Archiducis suburbanam, quæ cum triplicibus antiquorum Romanorum villis opulentia & magnitudine certare potest, positam in cliuo sub montium iugis altissimis in Oeni valle, & occupantem perampla latifundia. Etenim præter rusticas & fructuarias suas

ftationes habet incolle pofitum Palatij inftar Prætorium, vt veteres appellabant, villamve pulcherrimam, elegantia ftructuræ, fitus amœnitate, picturis, regiæque fupellectilis nitore prorfus vrbanam: Quam idem princeps exftrui curauit, fibi aulicæque vniverfæ cohorti fuæ ad æftiuandum commodiffimam. Hinc oftenduntur in cliuis ac vallibus ftagna, pifcinæ, lacus, & viuaria nobilium pifcium; illinc vineæ, pomaria, filuæ, leporaria, faltus, ferarum viuaria. Afcendes deinde in prætorium, & eius ftructuram, commoditatem apparatufque elegantes perluftrabis; atria, porticus & triclinia, aulæis, fignis. & tabulis pictis ornatiffima. Vide in aula perampla Comitum Teriolanorum ab initio ad noftra vfque tempora fucceffionem cum elogiis rerum geftarum cuiufque principis. Vide gynæceũ cubiculis variis pulcherrimè diftinctum, hortos penfiles, & auiaria æneis retibus conclufa. Item armamentarium in fuperiore tabulato fpaciofiffimum, in quo tanta vis armorum, atque telorum omnis generis eft congefta, vt ex eodem, velut ex equo Troiano cohortes aliquot

Comitum Teriolanorum imagines & elogia.

Armamentarium.

aliquot armatura plena instructæ breui spacio possent erumpere. Hinc ito è prætorio in loca circumiacentia, & ostendentur paradromis equestris, stadium, sphæristerium; & alia septa in quibus iuuentus nobilis solet exercitari. Transitur deinde in hortos excultissimos, vbi visuntur paradisi, labyrinthi, & Nympharum diuersa sacella fontibus artificiosis irrigua; quorum scaturigines multas varijs in locis abundè suppeditant torrentes è vicinis montibus per subterraneos tubulos ducti. Placent hypæthræ, & subdiales cœnationes topiarijs pulcherrimis vestitæ, & imprimis illa rotunda ad radicem vicini montis, in cuius medio mensam acernam rotundam simul cũ conuiuis assidentibus aquariæ rotæ sub cænatione laborantes, vel leniter, vel raptim circumagere, & conuiuas, si ita placeret, vertigine inebriare possunt. Mõstratur loculus in sublimi rupis pariete in quadrum excisus, & in eo posita imago crucifixi Seruatoris nostri lignea, altitudinis, vt ferunt, quadraginta circiter pedum, quæ ab imo cernentibus vix bipedalis apparet, in memoriam rarissimi

Horti.

D 2 casus

casus ibidem positam. Maximilianus enim Cæsar Friderici August. F. abauus ipsius, imperito prorsus ardore, iuuenilique nimia audacia feras istas insectando (vt cacoethes illud venandi in adolescētibus principibus plerunq; vehementer flagrare solet) eò loci euasit; vnd nec referre pedem, nec vlterius progredi posset, nisi in præcipitium. Stabat attonitus in abrupto loco infelix ille princeps, temeritatem suam culpans ipse, famis diræ longa tabe, vel morte violenta vitam ibidem finiturus. Stupebat animus, horror & tremor artus occupauerant, & obuersatur vbique tristissima mortis imago. Si altum respicit, niuosa cacumina & scopulorum ingentes minæ capiti imminent, & vt Silij poetæ verbis dicam:

caligat in altis
Obtutus saxis, abeuntq; in nubila montes.

Sub pedibus occurrunt, tartareus veluti abyssus,

& regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atræ stagna paludis.

A tergo

A tergo & lateribus Marpesiæ cautes non ferro, non flammis, non aceto Punico domandæ viarum accessus occludebant. Nec funes aliave instrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipsum alicunde protendi poterant, nec semita quæpiam lapicidarum labore menstruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites ac ministri, consilij prorsus inopes, dominumque suum miserum à longè non sine lachrymis prospectant, quem iuuare non poterāt. Ipse autem cum iam noctes atque dies integros duos in tam afflicto statu cōtinuè permaneret, nec vlla salutis spes residua videretur esse: mortalis huius vitæ cupidinem pius princeps abijcere, & qua ratione tutius beatioris vitæ cœlestem in locum transire posset, cogitare cœpit. Appellat magna voce suos, iubetque vt quamprimum sacerdotes sacrosanctam dominici corporis eucharistiam adferrent, & è viciniore, quo possent, loco sibi monstrarent; vt quando corpus mortali cibo reficere non daretur, saltem oculos à longè mentemque immortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumque seruatorem suum

præſentem adoratione poſtrema reconciliare ſibi poſſet. Satisfactum tam pio Principis deſiderio quam diligentiſſimè. Sed luctus interea magnus per vniuerſam prouinciam ſpargitur, fama tam acerbi caſus diuulgata. Deplorabant parentes dilecti ac vnici filij ſortem infelicem, & infauſtam orbitatem deteſtabantur. Curia, ſenatus ac ordines vniuerſi crudeli fato ſpei intimæ principem adoleſcentem ſibi ſublatum mœrebant. Populus omnis publice vota pro principis ſui ſalute ſuſcipiebat; in vrbibus oppidiſque ſingulis templa atque ædes ſacras, magna viriuſque ſexus frequentia ſupplex circuibat, iram diuini numinis deprecando Flectere cœleſtium iram mortalia vota, piaſque preces, veluti miraculo quodam tum enituit. Cum enim iam ope deſtitutus humana Maximilianus in ſcopulo, cura fragilis vitæ prorſus abiecta, nil aliud quam immortalitatis, Deique ſeruatoris ſui contemplatione ſemet occuparet, audit non procul à ſe ſtrepitum; circumſpicienſque videt arreptare per rupis coſtas iuuenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimouere inge-

Vota pro ſalute principis.

Qui miraculoſe ereptus.

ingentia saxa,& callem parare. Qui cum ad ipsum accessisset, porrecta dextera, Macte, inquit, animo, virtuque tua Princeps, viuit & adest qui te seruare potest; depone metum inanem,& me sequere, actutum te in tutiora loca traducam. Vti sol perdensas nubes clarior emergit, ita mox anxij pectoris angore deterso serenior redit animus, confidenterque ducem sequitur. Et paulò post in patentiore via positus, semet ex Orci faucibus ereptum videt, liberatorisque sui industriam non satis admirari potest. Ad descendentem deinde fit magnus comitum ministrorumque nobilium concursus, vbi inter congratulantium turbas ducem suum perdidit. Pallidus,& inedia languidus excipitur equo, domumque cum summa lætitia à suis reducitur, luctu plublico confestim in maximum gaudium conuerso. Postero die cum læti patris edicto promulgato dux ille vbique terrarum quæreretur, quo præmio merito posset honorari, nec diu quæsitus inueniretur, cognitum pariter, & vulgo creditum est, E uangelium custodem, bonumve Genium

Euangelius custos.

Genium fuiſſe, à Deo miſſum, vt adoleſcentem principem ad maxima reip. Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ domus incrementum grande ab immatura morte ſeruaret. Quam opinionem poſtea res ab ipſo præclarè geſtæ plurimum confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in eodem periculi loco crucifixi Seruatoris noſtri imaginem conſpicuam è via poni curauit; vti peregrinantes diuini auxilii gratiam vbique pi s eſſe paratam in periculis, inde cognoſcerent. Hanc Maximiliani Cæſaris fortunam Germanus poeta quidam nõ indoctè ſic attigit in Hodœporico ſiue Itinerario ſuo:

Poſtera rore leui virides Tithonia campos
Sparſerat, ad ſcopulum curſu peruenimus altum,
Hic vbi ſectatus ter Maximus AEmilianus
Alta in rupe capras, finiſſet turpiter æuum,
Ni Deus ad maiora virum ſeruaſſet, opemque

Auxilio

Auxilio agricolæ pæne ipsa in morte tulisset.

Meminit item alius in Itineris Italici Hodœporico suo his versibus:

Iamque tenebamus, qua spumifer æstuat Oenus,
Ardua carpentes sub iuga montis iter,
Cuius in abrupto per nocteis vertice Cæsar
Diue tuus quondam Carule sedit auus:
Syluestres quando capreas, damasque bicornes
Ausus in aerea figere rupe fuit.
Culmen & adscendit iuuenis temerarius, vnde
Cum vellet, potuit non reuocare gradum.

Non procul inde antiquissimum ad sinistram viæ positum cœnobium nomine *VVilthaimum*, à ferarum lustris ita nuncupatum, in quibus fundatum ab initio fuit à quodam Haimone monstrosæ magnitudinis gigante, cu- *VVilthaimum monasterium.*

ius ibidem adhuc ossa,& sepulchrum in templo visuntur inter alia vetustatis summæ monumenta. Monstrant etiam monachi draconis ingentis osseam linguam è longitudinis vnius vlnæ,gladij ancipitis forma, mucronatam: Quam beluam in vicinis syluis Haimonem illum occidisse ferunt, eamque historiam elegiaco carmine descriptam ostendunt. Plerique fabulam autumant, & marini monstri spinam acutam,vel Xiphiæ piscis rostrum mucronatum esse volunt: quem naues eò perfodere,in Oceano nauigantes, ác mergere, vt submersos deuorare possit, Plinius ex Trebio Nigro refert,& Olaus Magnus in historia rerum Septentrionalium confirmat.Fidei arbitrium penes lectorem maneat. Visu etiam dignus est calix inauratus argenteus,cum patina eiusdem operis ac materiæ, sculptura vetusta & insigni, multis versibus mysticis inscriptus,quos exscriptos sibi communicari multi petunt.Stat columna miliaria ante portas cœnobij insculpta literis antiquis, quæ docent,viam militarem ex Italia per Alpes Augustam versus, illac ductam

Calix literatus.

Columna miliaria via Romana.

ductam olim fuisse,& anno vrbis conditæ DCCCCLV. L. Annio Fabiano, & M.Nonio,M.F. Muciano consulibus, vt tituli demonstrant Imperatorum. sub Septimio Seuero restauratam in illo montium tractu per milia passuum CX. ex eadem inscriptione cognoscimus,quæ talis est:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX. AVG. ARABICVS ADIABENICVS. PARTHICVS. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P. PRO. COS. ET IMP. CAES. M. AVRELIVS, ANTONINVS PIVS AVG. TRIB. POT. IIII. PRO. COS. ET IMP. P. SEPTIMIVS. GETA. ANTONINVS VIAS. ET PONTES. REST. AB. AVG. MIL. PAS. CX.

Cõgressus duorũ fratrum Imperatorum

Hinc per iuga Rhætica, profundasque montium valles iter facies, & ad Pyrenæi montis radices, videbis in via columnam cum ærea tabula erectam, in qua pulcherrimè sculptura repræsentatur duorum fratrum maximorum Imperatorum eo loci congressus lætissimus, Caruli V. videlicet per Italiam ab Africana Tuneti expeditione redeuntis in Germaniam ad Imperij res post longam absentiam constituendas; & Ferdinandi Cæsaris, fratri desideratissimo quem à multis annis non viderat, cupidissimè obuiam occurrẽtis. Mentionem huius etiam columnæ facit Germanus ille poeta in suo Itinerario his versibus:

Hic post longa duo congressi tempora fratres,
Carulus Hesperiis victor, Ferdinandus Eois:
Cum patriis cuperent propellere finibus hostem
Ismarium, atque Ducum longas componere lites.

Postea.

Postea transcendes vasti Pyrenæi saltus ac scopulos, Brennerum montem nunc appellant Germani: *Pyrenæus mons.*

Cui niue tincta coma est, glacie riget aspera barba.

vt idem ille poeta cecinit. Glacie ac niuibus perpetuis horret semper, & eius cacumen scopuli è niuibus prominentes acuti cingunt in coronæ speciem. Metallorum omnis generis est ferax, nec accolarum crebris fodinis potest exhauriri. Exuperato Pyrenæo, Sterzingum Stiriacum nõnulli vocant, oppidum argenti fodinis celebre nõ minus quam Suacium in Oeni valle venitur. Inde fontes Athesis fluminis à sinistris relinquens, qui non inde procul oritur ex lacu Grauensi, *Teriolos* prætergredere, castrum olim regale, veluti Munsterus annotauit, & antiquissimum, quod ditioni ac prouinciæ Teriolensi nomen dedisse videtur. Stante adhuc Imperio, Romani perpetuo tenuere locum præsidio, atque in postrema prouinciarum ordinatione legionis III. Italicæ transuectioni specierum deputatæ præfectum cum *Stiriacum.* *Athesis fontes.*

tribuno cohortis ibidem habuisse statiua, docet antiquus ille liber *Notitia prouinciarum Romani Imperij*. Brixinam deinde contendes per saltus, & salebrosas Alpium cautes.

Per Athesis valles, & Alpium laxiores rupes *Pozzenum* appelles, municipium perlautum, ac opulentum emporio. Nam statis anni temporibus celebrantur ibi nūdinæ ob loci opportunitatem, quibus eo confluunt mercatores ex Italia, Galliis, Germania, & Illyrico. Itali mutata nonnihil voce, *Bolsanum* nunc appellant.

Brenta vel Meduaci Maioris fontes.

Relicto ad dexteram Tridento, per iuga montium, præcipitesque conualles, Persenum, qui pagus est, peruenies. Hic Brentæ fluminis fontes videbis, è paruis duobus lacubus ortum habentes, & non longè post in fluuium iustæ magnitudinis excrescētes, *Meduacum maiorem* Liuius, aliique scriptores antiqui vocarunt; & per eius ripam profectus, tandem *Burgum* in finibus Teriolanæ ditionis positum appelles. Inde *Primulanum* venies, quod primum Venetæ ditionis in ijs limitibus est castellum, arce in scopulo positâ munitum

Burgus in limitibus Teriolanæ ditionis.

tum, quæ pauco cum præsidio transitum per Alpes illum tutari potest. *Bassianum* vsque deinde progredere, per Meduaci, siue Brentæ fluminis ripam, faciliore itinere. Hic ibis per forum ad fluminis Meduaci siue Brentæ pontem ligneum, perampla & eleganti structura conspicuum, & ostendentur oppidi insigniora loca, quod mercatura frequens & opulentum est. Hinc *Castellofrancum* perge, oppidum nobile ad amnem Musonium. Aperiunt iam sese Euganei colles vitiferi, seruetque amœnissimi Galliæ cisalpinæ campi, & Adriaticus sinus à longe descendentium oculis explicant, magnaque delectatione recreant. Exultabit hic eruditus spectator, & in illos elegantis Poetæ versus erumpet:

Pons Meduaci fluminis.

—— Hic se subducere montes
Incipiunt, mollique iugum deducere cliuo.
Nunc iterum planis circum vndique libera campis
Lumina ferre queo. Nam multis ante diebus:

Nil

Nil scopulos præter, fusasque è cautibus vndas,
Excelsasue niues è valle videre licebat.

Et rursus in Sabinianos hos versus:

Eia age: iam sese demittunt molliter Alpes.
Diues & Italiæ terra patescit agris.
Mitius hic raro tristatur frigore cœlum,
Læta bis hic grauidis frugibus arua virent.
Nec densæ sterili surgunt hic arbore syluæ,
Quales Mænalio terra sub axe gerit.
Sed pingues oleæ, sed onustæ vitibus vlmi,
Altaque fatidico laurus amata Deo:
Citrus & amittit quæ nunquam frondis honorem,

Et

Et prope labentes consita ficus aquas:
Malaque dependent curuatis Punica ramis,
Lucida sub quorum cortice grana rubent.

Tum amicam sic salutabit Italiam:

Salue terra ferax Cereris, dulcisque Lyei:
Omnibus optatis terra referta bonis.
Salue magna parens doctorum, altrixque virorum,
Exculti qua nos erudiente sumus.
Induit ingenuos per te Germania mores,
Doctrinaque tuis fontibus hausit opes.

Hinc proficiscere Taruisium, vrbem insignem, & copia rerum omnium adfluentem. Totilæ regis Ostrogothorum fuisse patriam, Gothicæ historiæ produnt, nec antiquio- *Taruisium Totila patria.*

rem

rem eius vrbis apud veteres auctores memoriam reperimus. Quare nescio, quam firma sit eorum coniectura, qui ex Plinij tertio libro coniectant, a Taurisanis populis Taurisium appellari debere. Sedes postea fuit Langebardorum principum, & Marchionatus titulo gaudebat. Ædificia quidem vetera demonstrant olim admodum floruisse, licet aliquando Rotharis Langebardi, Acciolini tyranni, aliorumque iniurias senserit. Hic inter cætera fluminis cataractas ingeniosè factas, atque muros, aggeres, propugnacula, & fossas videbis, quibus vrbem magnis impensis Veneti munierunt, post vltima bella, quæ cum vicinis gessere. Inde rectà Mestresiũ proficiscere, ad Musonis ripam positum oppidum, non procul ab eius ostio, ac Venetorum stagnis. Hinc VENETIAS traijcies.

ITER

ITER AVGVSTA VENETIAS, INDE PATAVIVM.

Ex Itinerario trium Nobilium Germanorum, Coloniæ in Vbiis edito, anno MDCII.

AVGVSTAE Vindelicorum perlustranda sunt sequentia. Armamentaria duo instructissima in separatis& distinctis locis ciuitatis. Palatia Fuggerorum magnifica.

Aquæductus publicus (**die wasser kunst oder wasser Thurm**) visu dignissimus, quo aqua salubris & limpidissima tanta copia per canales tam capaces in ipsum Castellum siue receptaculum deducitur, vt diuersis per ea temporibus aper & dama pusilla delata sit. Memoriæ eius rei tabulæ ligneæ appensæ ibi monstrantur, indices excultiores magnitud nis & crassitiei, & ipsius quoque temporis. Aqua singulari artificio in fastigium altæ

altæ turris ſurſum propellitur, atque inde per minores canales, certa menſura in loca publica & priuatorum, quæ eam ſibi compararunt, ædes dirigitur. Fons longe pulcherrimus ex marmore candidiſſimo, cum ſtatua ænea Auguſti Imp. peregregia & alta conſpicitur (auff dem Berler) vt vocant, prope curiam, ad quem vetuſta & rudi Minerua depicta eſt cædes Quintilij Vari & legionum eo ipſo in loco, quem hodie Berler vocitari diximus, corruptè ita dicto ab ipſo Varo: qui Karlberg, vt nonnullis placuit, quorum opinionem refert nec improbat Otho Friſingenſis nobiliſs. hiſtoricus. Concha natiua in venis marmoreis, ſicuti & in columna, quæ in aula curiæ maioris, ſignum Leonis miræ conditionis.

Ipſa curia olim Cybeles templum fuiſſe perhibetur. Iuxta eam eſt turris Badina (der Einlaß) vbi certus eſt in vrbem introitus mira arte & ingenio factus. Conſtat ex ponte ſilicibus ſtrato, penſili fere nulliſque columnis ſuffulto, fornicis ad inſtar. Per portas itur quatuor, quarum ſingulæ certo pondere artificio & facili

ductu (dirigente ea Ianitore in superiori domus contighatione) quæ sponte sua ordine aperiuntur, & rursum occluduntur. Aiunt factum esse commoditati Maximiliani I. Imperat. qui ne portas sibi aperiri necesse esset, iter rectum hac via noctu introiuit; hodie seruit commoditati cuiusuis, qui nocturno tempore equus & pedes vrbem ingredi cupit, depẽso exiguo isagogico.

Bibliotheca Senatus in schola D. Annæ, in qua præter impressos libros optimorum authorum, bona copia asseruatur manuscriptorum antiquissimorum & pulcherrimorum vtriusque linguæ. Eius Indicem Græcorum manuscriptorum quibus abundat, edidit Dauid Hœschelius vir doctus.

Societatis IESV collegium amplum & capax cum vicino templo, quod splendide admodum exornatum est, ex munificentia potissimum Fuggerorum.

Nosocomium insigne, idemque Gerontocomium, in quo valetudinarij & senes vtriusque sexus (quibus ita placet) distinctis inhabitatiunculis siue cubilibus honeste, dum viuunt

uunt, tractantur, ære vt plurimum publico.

TEMPLA complura pulchritudine & antiquitate spectabilia, quæ inter primaria videntur tria: Templum Societatis Iesu, de quo paulò ante: Templum Cathedrale, vbi ex suprema chori parte suspensum videtur vexillum Caroli V. Imper. eiusdemque inibi repositus gladius, sceptrum & corona aurea, veluti pacis trophæa, constituta eo loco anno CIϽ. IϽ. LV. Templum D. Vdalrici, cuius ibi sepulchrum, ex quo terra, quæ depromitur, prædita est vi & facultate pellendi glires, vti prædicant: atque ideo peregre aduectantibus portiũcula eius donari solet, ita vt longe lateque asportetur ad prædictum effectum De eius certitudine non est quod dubites siquidem verè illi acceptum ferunt Augustani, qui glires penitus ex vrbe sua exigunt. S. autem Vdalrici vitam ibidem euulgauit Marcus Velserus nobilis. iuxta & doctissimus, itemque S. Afræ Martyris, cũ Notis. Hac in æde monumenta sunt egregiæ familiæ Fuggerorum, Chorus marmoreus, Sepulchrum

pulchrum Christi ad modum Hierosolymitani comparatum, Turris huius templi noua & alta, ex qua in vniuersam vrbem patet elegans prospectus.

Die Fuggerey locus in media vrbe separatim adinstar oppiduli alterius minuti extructus à Dominis Fuggeris, qui domunculas inibi pauperioribus opificibus vili locare precio consueuerunt. Horti eorundem Fuggerorum extra vrbem fontibus artificiosissimis, item viuariis auium piscium que & omnis generis herbis exoticis ornatissimi, cum palatiis superbis, vbi cornua ceruorum passim parietibus affixa miræ magnitudinis & ad instar ramorum arboris multiplicata conspiciuntur.

SITVS VRBIS.

SITA est autem hæc vrbs in fertili, & amœna planitie ad fluuium Lycum, diues populi & rebus omnibus abundans, & frequentibus Imperij Comitijs celeberrima, Alit continuo 500, milites, quorum præsidio in libertate sua, prouide se tuetur.

Venetias versus mouens octidui spacium in itinere consumes, & sequentia loca, pagos, oppidula, & vrbes intermedias habebis hoc ordine.

LANSPERGAM.

Lansperg, oppidum Ducis Bauariæ, quod distat sexto lapide. hac itur per pascua, & prata & planitiem spatiosissimam, quę ab alluente & ad Bauaros properantes Lyco, vulgo dicitur (das Lyterfelt.) Habet fontem pulcherrimum & limpidissimum scaturigine multiuaga, & arcem in summitate montis. Item collegium Societatis IESV, ibi exstructum cum templo magnifico.

SCHONGAVIA.

Schongauw / quatuor miliaria à Lanspergo distat, elegans oppidum Ducis Bauariæ, in quo omnis generis instrumenta Musica conficiuntur, inprimis commendantur testudines ibi factæ.

Hinc MONTANA incidunt, Rotenburg / Schloya, pagi. Item Ammergauw (cui nomen à torrente Ammor, qui sępius periculosè exundare

dare solet) Partenkirch / Mittenwalt vnd Serfelt / vbi templum Diuo Osvvaldo consecratum, & in eo sacellum ad quod mira deuotione maximus fit peregrinorum concursus, propter miraculum ibi editum, cuius hæc vere est narratio:

Anno 1384. Quidam Osvvaldus Millser, ex nobili ortus prosapia, tempore Paschali ad sacram *Synaxin* accessurus, petijt à Sacerdote, vt sibi tanquam nobili maiorem hostiam daret. Sacerdos Osvvaldo obsequens ipsi maiorem hostiam porrexit. Vbi vix assumpta in buccam hostia, nobilis attonitus, & quasi fulmine tactus in terram concidit, Sacerdos confestim hostiam ipsi ex ore exemit, eamque sanguinolentam: vnde postea vitro crystallino inclusa, & auro comprehensa, inque prædictum sacellum reposita fuit, inaudita exinde edens miracula. Nobilis monasterium ingressus, biennio pœnitentiam egisse, & ibi mortuus fertur. Ad altare, quo in loco nobilis stetit, vestigia pedum in silice miraculosè impressa ostendunt.

CIRELLVM Zyrle/pagus est sub ditione Tirolensi. Montem habet vicinum à se denominatum (der Zyrlberg) ad quem modico interuallo progressis à pago monstratur ad sinistram in altissimo & præcipiti eius iugo, excisus loculus quadratus, in quo loco erecta imago lignea Saluatoris nostri IESV CHRISTI (quam constat quadraginta pedes altam esse, sed ab imo cernentibus vix bipedalis apparet) in memoriam liberationis, qua Maxim. P. Imp. filius Friderici Cæsaris præsentaneum & omnium iudicio plusquam certissimum vitæ discrimen diuinitus euasit. Cum enim quodam tempore calidè nimis, & iuuenili impetu damas persequeretur, in ipso monte, imprudens in illum locū peruenit, ex quo neque progredi vlterius neque referre pedem vlla ratione potuit: itaque desperans de salute sua ibi delituit. Elapso iam bidui & binoctiali spatio, insperato à iuuene quodā ignoto, habitu rustico, ingentibus saxis remotis in viam reductus & seruatus fuit, Iuuenis vero ille postea iterum visus non est, vt angelū fuisse appareat. Hinc porro deuenitur ad domum venato-

natoriam Archiducis quondam Ferdinandi. Ad hāc depicta effigies Maximiliani I. à prætereuntibus videri potest. Hinc versus vrbem occurrit Viuarium ferarum (der Thiergarten) cum prætorio siue palatio.

OENIPONS Insbruck, vrbs, quasi Oeni fl. pons, est insignis, bene ædificata, melius habitata, optimè munita, Metropolis Prouinciæ Teristanæ: nomen sortita ab Oeno fluuio præterlabente (vulgo der Ihn vocatur) & paruit Archiduci Ferdinando olim defuncto. Hinc obseruata nobis fuerunt; Arx siue palatium ipsius Archiducis, vbi in spacioso quodam cœnaculo Austriaca stirps, in tabulis, Titiani peritissimi pictoris manu depicta: Armamentarium Archiducis: Franciscanorum vicinum palatio monasterium cum templo pulcherrimo, in quo monumentum Maximiliani I. augustum & sumptuosissimum, à nepotibus Carolo V. & Ferdinando Impp. exstructum, ad quod res ipsius gestæ domi belloque descriptæ sunt, hoc modo:

IMPERATORI MAXIMILIANO PIO, FELICI, AVGVSTO. PRINCIPI TVM PACIS TVM BELLI ARTIBVS OMNIVM AETATIS SVAE REGVM CLARISSIMO, SVB CVIVS FELICI IMPERIO INCLYTA GERMANIA DVLCISSIMA IPSIVS PATRIA, TAM ARMIS QVAM LITTERARVM STVDIIS PLVSQVAM ANTEHAC FLORERE CAPVTQVE SVPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE COEPIT. IMPER. FERDINANDVS, PIVS FELIX AVGVSTVS, ANIMO PATERNO PERQVAM COLENDO, ET BENE MERITO PIETATIS ATQVE GRATITVDINIS ERGO. P.

Natus est 27. Martij anno 1459. Obijt vero anno Domini 1519. Mense Iunio.

1. *Matrimonio cum Maria potentissimi Burgundiæ Ducis Caroli filia contracto, opulentissimæ Belgarum, Sequanorumque ditiones Austriacæ domui adiectæ.*
2. *Fuso ad Guinegatum vicum Gallorum (qui ex triginta millibus hominum constabat) exercitu, magna pars Hannoniæ vnà cum Imperiali vrbe Cameraco recepta.*
3. *Atrebatum Arthesiæ Metropolis, quæ ante Gallis armis cesserat, egregio stratagemate per nocturnas insidias deceptis hostium custodijs in potestatem redacta.*
4. *Viuente adhuc Imperatore Friderico III. Imper. à sacris Roman. Imperij Electoribus*

ribus in Regem Roman. vnanimiter electus & paulo post Aquisgrani adhibitis ceremonijs coronatus.

5. *Iunctis cum patruele Sigismundo armis, Rouoretum oppidũ expugnatum, ac Venetorum copiæ vnà cum Duce Roberto Sanseuerino ad vicum Casticinum deletæ.*

6. *Vniuersa inferioris Austriæ prouincia, quæ vnà cum metropoli in potestatẽ Matth. Coruini inclyti Vngariæ regis deuenerat, intra triũ mensium spacium recuperata.*

7. *Alba regalis vrbs nobilissima, in qua reges & inaugurari & sepeliri solent, valido exercitu cincta & expugnata, ingensq; illi regno ter-*

ror-

vor illatus.

8. Facta cum Carolo VIII. Gallorum rege pace, Margarita unà cum opulentissimis Burgundiæ & Arthesiæ Comitatibus ante tempus à Ludouico XI. occupatis, recepta.

9. Turcarum ingens multitudo (quæ in Croatia & Slauonia cuncta ferro & igne vastauerat) solis ipsius auspicijs, nec aliorũ ope quicquam implorata, inde eiecta.

10. Fœdus cum Alexandro VI. Pontifice Max. Senatu Veneto à Ludouico Sfortia initum, quo mediante Carolus VIII. Rex Gallorum, regnum Neapolitanum deserere, & domum redire coactus.

11. Data in matrimonium Blanca Maria filia, receptoq́; à Ludouico Sfortia fidei iuramento, Ducatus Mediolanensis ad imperij obedientiã sine sanguine redactus.

12. Filium suum Philippum, & inclytorum regum Ferdinandi & Elisabethæ filiam Ioannam nuptijs copulãdo, ad amplissimorum Hispaniæ regnorum successionem, aditus posteris suis apertus.

13. Bohemi qui socerum ipsius Albertum Bauariæ Ducem, conducti oppugnatum aduenerant, memorabili prælio prope vrbem Ratisbonam superati, plurimis eorum interfectis.

14. *Knotslimio & Goroltracho munitissimis arcibus expugnatis, septem insignes præfecturæ ditioni Austriacæ partim adiectæ, partimque postliminio quodam restitutæ.*

15. *Percusso cum Iulio II. Pontif. Max. Hispan. & Gall. Regibus fœdere, Veneti toto propemodum continenti quod in Italia habebant, depulsi, & ad summam desperationem adducti.*

16. *Insignes Venetorum vrbes*, Patauium, Verona, Vicentia *vnà cum Fori* Iulij *parte in potestatem redactæ*, Brixia *vero auxiliantibus Gallorum armis expugnata.*

17. *Socieate cum Iulio Pon-*

tif. & pagis Heluetiorum contracta, Galli penitus Italia eiecti.

18. Iunctis cum Henrico IIX. Anglorum rege viribus iterũ ad vicum Guinegatum, locum antiquum, antiqua Cæsaris victoria fatalem, insigni prælio profligatus Gallorum exercitus.

19. Terrouana Morinorum excisa: Tornacum verò prisca bellicosi ac fortissimi Neruiorum populi gloria insignis ciuitas, post leuem oppugnationem in fœdus recepta.

20. Bartholomæus Liuianus excelsi nominis dux, cum ingenti Venetarum copiarum apparatu à parua Cæsareorum militum Germanorum

&

& Hispanorum manu propè Venetiam fusus & profligatus.

21. *Maranum oppidum, astu captum; obsidentibus id paulo post Venetorũ copijs, eruptione deinde facta, cũ Paulo Manfreno & Balthasaro Scipione acerrimis hostium ducibus fœliciter pugnatum.*

22. *Conuentu cum Hungariæ & Poloniæ Regibus Viennæ habito, contractisque hinc inde matrimonijs, nepotibus ipsius acquirendis amplissimis Hungariæ ac Bohemiæ regnis via strata.*

23. *Vrbs Verona operâ Marci Columnæ, submissisque per Gulielmum Rogendorffum commeatu & subsidijs, aduer-*

ſus immenſam vim oppugnãtium Gallorum & Venetorum ſtrenuè defenſa.

In eodem templo æneæ ſtatuæ ab vtraque parte collocatæ ſunt, cum Inſcriptionibus; quas Inſcriptiones leges in Deliciis itinerum Franc. Sueertij Antuerpiani.

Wilthein.

Eſt cœnobium, ſecundo fere ab vrbe Oeniponte lapide ad viam poſitũ, à ferarũ luſtris ita denominatũ, & pariter ab Haimone eius fundatore, qui magnitudinis mõſtroſæ fuit, cuius ſtatua in pariete ibi depicta, & lõga 12. pedes, quæ itẽ ſtatua eius lignea productę ſtaturę ibi recũbit. Quædã præterea viſu digna ibi à monachis monſtrari ſolent viatoribus; interque alia lingua Draconis, quam Imp. Carolus V. olim & ſibi tranſeunti iſta monſtratã, maioris certitudinis gratia cum cultello nonnihil conſcidit. ibidem antiquiſſimus cyathus argenteus ſacer nonnihil inauratus in agro inter arandum à ruſtico repertus aliquot ab hinc annis, & ad rem ſacram poſtliminio reuer-

reuerſus. Ante portas Cœnobij columna, miliaria denotans, ex cuius inſcriptione apparet, Viam militarẽ, ex Italia per Alpes Auguſtam verſus, illic apertam olim fuiſſe, L. Annio Fabiano, & M. Nonio M. F. Muciano Coſſ. & deinde ſub Imper. Sept. Seuero reſtauratam per millia paſſuum, CX.

Poſt 3. mil. hinc ſequitur **Schonberg**, pagus. Item *Maltera*. inde tráſitur ad **Steinach** oppidum.

ALPES.

Hinc pergitur per Alpium ſumma iuga profundaſque valles, & in via regia paucis paſſibus eſt diuerſorium **Lueg**: ad radices montis, à latere dextero deprehenditur columna cum tabula ænea, ferreis munita cancellis, quæ vt Epigraphe docet, ſeruit memoriæ congreſſus fortuiti & inopinati facti eo in loco inter Carol. V. Imperat. redeuntem ab Africana Tuneti expugnatione, & Ferdinandum eius fratrem an. M. D. XXX.

A prædicta Caupona Lueg per pagum **Welers** poſtea tranſcendendi

sunt ingentes scopuli & saltus vasti montis Pyrenæi: propter extremum frigus, cui perpetuo oppositus est, per antiphrasin sic dictus (Der Brenner)

Cui niue tincta coma est, glacie riget aspera barba.

Aiunt tamen hunc montem omnis generis Metallorum esse feracissimũ. Hoc superato, sequitur STIRIACVM, Stertzingen / oppidulum. Hic prope à sinistro latere in montium iugis nascitur flumen ATHESIS, quod postmodo nauigabile efficitur, Veronamque Italiæ celebrem vrbem diuidit, Germanicè die Etsch / & vicina regio das Etscherlandt / appellatur. Prope quoque adest castrum antiquum Teristis, quod prouinciæ illi nomen dedit. Item duo vici, Im Sack & zum Weisser, ad sinistram viæ in campo iacet ingens saxum concauum, per quod instinctu comitum, itineris precium, mercatorum ex solemni more, rependunt qui hâc iter antea nunquã fecerunt, & inter peregrinandum loci causa vel vapulant vel madefiunt, ex itu illis nonnihil vtrimque præcluso.

Athesis fluuius.

BRI-

BRIXIA.

HInc BRIXIA, oppidum Brixen, quod fluuius Isachus (die Eysach) alluit, Episcopus ibi residet. Die Klause, angustum habens transitum. Botzen/ vrbs siue municipium magnum & celebre nundinis anniuersarijs, ad quas mercatores certatim ex vicinis Germaniæ & Italiæ partibus confluunt. Territorium habet fertile. Etsi enim inter Alpium montes positum est, tamen quia hic laxiores & diffusiores esse incipiunt, culturamque facile admittunt, redduntur passim fertilissimi, & feraces non vini solum optimi, sed etiam fructuum ipsorum, qui Italiæ potissimum & locis calidioribus peculiares esse solent.

Operæpretium est, paucis hic commemorare, quæ causa sit, cur *Bozones* vix sesquimense abhinc iocus & fabula vulgi esse cœperint. Cauetur Statuto ipsorum, vt qui occiderit ferā aliquam vé bestiam ex his, quæ vineas infestare consueuerūt, præmiū seu pecuniā accipiat ex publico. Acciditergo vt Molossus, qui in delicijs hero erat, & vrsū

& vrsi perquam similis, à viatore quopiam in vinea sua forte fortuna conspiceretur. Qui ratus se vrsum deprehendisse, conuocatis vicinis, magno conatu in canem irruit, eoque perempto mercedem debitam à Senatoribus deposcit. Hi eam libenter persoluunt, canem hanc Vrsinam inter se distribuunt, vt ferinam lautę in cœna absumant, caput pedesque ex recepta consuetudine, valuis portarum publicis affigunt. Dominus occisi canis recognita, & damno iniuria dato, illos conuenit, & satisfactionem facili negotio impetrat. Rogatus insuper silentio vt rem inuolueret. Verum iam in ore erat omni populo, & ex nundinis paulo post subsecutis, longè lateque disseminata fuit, à mercatoribus exteris, quorum nonnulli ita factum exposuerunt, etiam in illa ipsa vrbe: nec hospes contradicere quicquam poterat.

NOVVM FORVM, Newmarckt, oppidum ad Neuesum amnem. Syllory pagus. Non longe hinc duo lacus, ex quibus Meduacus seu Brenta prolabitur, & iuxta in colle arx vetus & nō

habitata

habitata, propter lemurum vexationes & præstigias.

TRIDENTVM.

TRIDENTVM Trient / vrbs in Alpium angustijs ad Athesin sita, magna, sed modice pulchra, celebris Concilio ibi habito, anno 1546. authoritate Pauli 3. Pontif. Max. Castellum habet seu arcem bene munitam, ibi Cardinalis Madrucius commoratur. In æde D. Petri monstrantur pueri à Iudæis crudeliter interempti, & in Catalogũ Sanctorum Martyrum à Pontifice relati, qui ob miracula edita, sancte & reuerenter coluntur, & eorum testimonia in sacello plurimæ sunt votiuæ tabulæ, & cerei argenteique pedes, brachia & id genus alia. Ibidem an dem Galian prœlium fuit commissum inter Venetos & exercitum Sigismundi Archiducis Austriæ, anno 1487. de quo Petrus Bembus.

De Platte / locus in summo altissimi montis apice angustus & præceps valde, constans ex lapide glabro siue læui: vnde in abyssum lubricus & facilis est delapsus. Hinc multi reperiuntur,

untur, qui metu periculi relicta hic via per Tridentum, qua prædictus locus est transeundus, malunt insistendo aliam viam transcendere alium quempiam altissimum montem, magis quidem asperum, sed magis tutum. **Bersen** Caupona in eremo fere posita, miliari vno ab vrbe Tridento distat.

Cobel / locus mirè angustus, & arx in ipsis Montis visceribus excisa, forti præsidio & rebus omnibus necessariis munita, bene instructa & inexpugnabilis; pedibus iumentorũ adiri non potest, sed resti attrahendi sunt ingredi eam cupientes, & egressuri rursum eodem fune demittendi sunt. Est serenissimæ domus Austriacæ. Accuratiorem descriptionem huius loci vide apud Petr. Bembum in historia Veneta.

PRIMVLANVM oppidulum, vbi incipit ditio Venetorum. BASSAM, oppidum: Item CASTELLOFRANCO oppidum: vtrumque Venetis paret. Hoc ad amnem Musonium positum est. Hinc progrediendo, relictis superatisque iam Alpibus,

EVGANEI COLLES Vitiferis oculis ſeſe offerunt, & amœni Galliæ Ciſalpinæ campi & ſinus Adriaticus ex longinquo ſe oſtendunt. TRIVISI, magna, elegans & munita ciuitas, ſubiecta imperio Venetorum, diuiditur à flumine Silo. Territorio eſt fertili & plano: corruptè dicitur *Trungi*, qui à Taruiſio, & incolæ eius apud veteres dicuntur autores, *Taruiſani*.

MESTRES, MESTRESIVM, oppidum ad Muſonis ripam, quod opulentum fuiſſe ruinæ eius luculenter teſtantur. Non longè hinc peruenitur ad aggerem, Mageram, vbi Muſo ſe profundit in ſtagna Venetorum, per quem poſtmodum itinere 4. mill. Italicorum itur Venetias.

VENETIA.

IN VENETORVM VRBEM IACOBVS SANNAZARIVS.

Viderat Hadriacis VENETAM *Neptunus in vndis*
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arceis
Obijce, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si Pelago Tibrim præfers, vrbem aspice vtramque:
Illam homines dicas; hanc posuisse Deos:

Pro his singulis versib. à Senatu accepit poeta centenos aureos, vt in eius vita Italice à Crispo conscripta leges.

DE VENETORVM SIGNIS.

Idem.

Ro-

Romanas aquilæ postquam liquere cohortes,
Magnanimus turmas ducit in arma leo.

Aliud.

Quis rursus VENETAE *miracula proferat vrbis,*
Vna instar magni, quæ simul orbis habet?
Vna Italûm regina, altæ pulcherrima ROMAE
Aemula, quæ terris, quæ dominaris aquis.
Tu tibi vel reges ciues facis, ô decus, ô lux
Ausoniæ, per quā libera turba sumus.
Per quam barbaries nobis non imperat, & Sol
Exoriens nostro clarius orbe micat.

De nomine Venetiarum.

Non dea vel Paphia, aut Cytherea est nata marinis
Fluctibus, heu, Venetûm prostat in vrbe Venus.

VENE-

VENETIAE.

VENETA vrbs est insignis, nobilissima & pulcherrima, in mari Adriatico anno salutis CCCC.XXI. (quo anno Attila rex Hunnorum Aquileam euertit) condita. Fundamenta super ipsas maris vndas tunc temporis iaci cœpta, cum Italia deuastaretur. Huc enim, vt saluti consulerent suæ, nobiliores & potentiores, & qui principatum in suis ciuitatibus detinebant, his desertis, confugerunt, tanquam in portum tutissimum.

De florentissimæ huius Reipubl. administratione, moribus & institutis melius fuerit silere quam dicere pauca. Et agnosci hæc possunt ex libris hac de re accuratè scriptis, à Sabellico, Contareno, Donato Giannoto, Sansouino, Leandro, & cæteris. Hinc inde quæ à circumeuntibus exteris perlustrari, & ab incolis monstrari solent, ea breuiter hic consignare. libet.

PALATIVM DVCALE, in quo Ducis conclauia, tapetibus, picturis, omnibusque generis preciosa

supellectili magnifice & splendidè ornata.

LA SALA DEL GRAN CONSIGLIO. In hac Ducum Venetorum à primo ad vltimum (excepto Tarino Malerio, qui cum vi Rempub. delere, & Tyrannidem inuadere in animo haberet, decollatus fuit, itaque ipsius locus ibi vacat, & ferunt ad deterrendos alios duces, erectum ante palatium patibulum, (der Fürsten galgen) ad viuum depictæ imagines.

Ibidem monumentū Contareni his verbis:

ANDREAS CONTARENVS QVI CLODIATICAE CLASSIS IMPERATOR, SERVATA EA ATROCISSIMOS HOSTES DEBELLAVIT FELICISSIME Anno M.CCC.LXVIII. VIXIT POSTEA ANNOS 14.

LA SALA DEL GRAN *Scrutinio*, hæc est contigua superiori, inque ea scrutinium exercent, dum quædam ad certamina publica eligenda proponuntur. In hac aula Scrutinij

tinij siue electionis supra confessionem Ducalem parieti hæc inscripta leguntur.

Pro patria periculum suo periculo expetunt,

si sapientes putandi sint:

& eum quem debent Reipublicæ honorem reddunt:

& pro multis perire malunt, quam cum multis.

Etenim vehementer est iniquum,

Vitam quam à natura acceptam per patriam conseruauimus,

Eam cum cogaris reddere, patriæ non dare?

Sapientes igitur existimandi sunt,

Qui nullum pro salute patriæ periculum vitant.

Hoc

Hoc vinculum est totius dignitatis, qua fruimur in Republica.

Hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis,

Mens & animus & consilium, & sententia ciuitatis,

Posita est legibus.

Vti corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege,

Suis partibus, vt neruis & sanguine,

Et membris vti non possunt.

Legum Ministri Magistratus:

Legum interpretes Iudices:

Legum deniq; idcirco omnes serui sumus,

vt liberi esse possimus.

LA SCALA del consiglio di Dieci, *vbi hæc leguntur*, Deo Opt. Max. Fauente,

Tandem præclara vrbis meritò æternat imperium,

quod incorrupta Religio peperit,

Iunctaque Virtus educauit,

duro splendore gloriæ augetur, mira benignitate, nulla vnquam seueritate coniuncta.

Vicina in aula spaciosa, hæc perscripta sunt: *Primò semper ante omnia requiritur,*

vt cum iustitia & charitate definiatis,

neminem condemnetis ante verum & iustum iudicem,

nullum iudicetis suspicionis arbitrio.

sed

ſed primum probate,
& poſtea caritatis ſenten-tiam perferte,
& quæ non vultis vobis fie-ri, alteri facere nolite.

Ibid. *Non giudicar ne pro voce, ne pro carte, que tu non odi pro l' vna l' altera par-te.*

Prope Scalam, qua ex area in palatium aſcenditur, aureis literis parieti inſerto ſaxo, inciſa ſunt hæc: HENRICVS III. GALLIAE & POLONIAE REX, &c. Vide cætera in Delicijs Itinerum Sueertij,

Eſt & armarium in Palatio ducis, quod lingua vulgari *l' Arſenale della ſignoria*, nominatur: Aſſeruantur ibi omnis generis arma, optimæ notæ, quibus in caſu neceſſitatis, & ſeditionis in vrbe, repente armari poteſt nobilitas.

EX PRIVATIS IN VRBE palatijs fabricæ & formæ præſtantioris hæc ſunt, Pallazo di Giouanno Patriarcha

triarcha de Aquileja, quod priscarum statuarum, monetarum antiquarum, picturarumque preciosissimarum thesauro ornatissimum atque præclarissimum est.

PALLAZZO di NICOLO *di Ponte*. Item di FOSCARO, quod capacissimum, magnificum, & ad imitationem ædificiorũ Germanicorum exstructum est.

Ibidem PALLAZO *del Duca du Brunsuuig al canal grande.*

Ad hunc canalem, vt vocant, maiorem, quamplurima sunt egregia Palatia, præcipue vero, quoad magnitudinem, splendorem, artificium; vnumquodque ex his fertur constare plus 200000. coronatis, videlicet: *Il Loredano*, *à S. Marco*, *il Grimano*, *à S. Luca*, *il Delfino*, *à S. Saluatore*, *il Camaro à S. Martyrio*, & hoc vltimũ inter hæc in primis obseruatu dignũ est.

FABRICAE PVBLICAE insigniores & visu dignissimæ habentur: *Il Campanile di S. Marco*, turris quadrata, alta 230. pedes, & ab vnoquoque latere 40. pedes lata, vbi eundo quasi in planitie, & sine gradibus cõmodissime ascenditur, ex qua Vrbis

quæ

(quæ testudinis musicæ formam repræsentat) & maris iucundus patet prospectus.

La Procuratoria, *la Libraria del Senato, la S. Marco.*

La Zecca, domus in qua cuditur moneta, Horologium S. Marci. Item *Palatio di Rialto* Item pons magnus nouus *di Rialto*. *Fontigo del Sale, & della Farina.*

A gli Ebrei, platea occlusa & notabilis, in qua domicilia Iudæorum.

LARSENALE, hoc nomine appellatur *Armarium Reipublicæ*, vbi maximus apparatus armorum, rerumque ad expeditiones maritimas pertinentium, asseruatur, & quotidie adaugetur. Continuo ibi operantur plus minus milia duo, & in 18. eius turribus excubant milites 75. Tota murorum Armarij circumferentia, Vlmæ celebris Sueuiæ ciuitatis ambitum æquiparat.

Inibi sunt 5. concamerationes satis spaciosæ. Sub vna reposita sunt tormẽta bellica 150. quę Turcis anno 1571. erepta sunt, & Venetis cesserunt ex diuisione facta inter Pontificẽ & Don Iohan. de Austria. Inter maiora eximium

quoddam eſt, tribus vna vice globis iaculandis idoneum, cum inſcriptione hac:

Cerberus hic vomitat triplici de gutture flammas,
Sulphura, Sal, Nitrum, fulmina, tela, globos.

Item aliud quod antea Ferdinandus Imp. à Turcis abſtulerat. Nomen & inſignia Imp. eis infuſa ſunt: cum numero anni 1533.

2. Duæ oblongæ contignationes. ſiue aulæ, in quibus arma, & armaturæ capitum ſexagies mille, quæ terra mar que vſurpari queant. Ibi ſub inſignibus Venetis hæc inſcripta legũtur;

A gli amici vigore,
A gli inimici ſpauento & terrore.

3. Locus vbi aſſeruantur 38. tormenta maiuſcula, quibus vti in triremibus ſolent, ex his 6. fuere adhibita prælio commiſſo anno 1571. contra immanem Turcam.

4. Triremes cum veteres tum nouæ, & partim grandiores, partim mediocres 250. quæ tempore neceſſitatis ſeruiunt. Nam aliis præterea 87. quotidie

tidie foris & in mari suo vtuntur. *Il Galo & Fausto*, notabilis est, & cum cæteris Triremibus primo impetum in hostiũ classem fecit anno illo 1571.
5. Tabernæ quinque, vbi tormenta, globi. cæteraque ferramenta ad fabricandas, instruendas, armandasque naues necessaria conflantur.
6. Locus confertus globis ferreis tormentariis, ordine in figuram Pyramidalem compositis; vbi & vexilla Turcica. Item vexillum elegans sub Præfecto classis Sebastiano Vener o in triumphum, & vexillum nauale erectum.
7. Singulares aliquot stationes & Cameræ capaces, plenæ reliquis instrumentis nauticis, veluti velis, funibus, remis, & cæt. ita vt singula seorsim posita sint; & inter operarios, continuo ibi laborantes, plurimæ sunt cuniculæ.
8. Superius in aula maiori, aliquot reperiuntur Galeæ antiquæ, & prout ab antiquis fuerunt vsurpatæ ex corio septuplici; item arcus insigniter magnus cum telo.
9. Coaceruata in vnum locum arma Turcica, & lanceæ.

10. Quatuor Ephippia vetusta, pro equitibus cataphractis, multiplici corio tecta: & arma Genuensibus quondam in sinu Adriatico erepta, bello forte Clodiano.

11. Sexcentæ armaturæ omnes sinistro brachiali carentes, quæ illic retinentur, ad perpetuam memoriam cõiurationis; cuius caput quidam ex familia Tiepoli, principatum quondam occupare conatus, complicibus suis huiusmodi thoraces conficiendos curauit, vt etiã in impetu & cæde sese inuicem dignoscere, sibique parcere possent, Sed res maturè propalata fuit, & ipse mortario æneo (quod vetula quædam è fenestra in eum proiecit) comminutus & peremptus dicitur.

12. Prope huius introitum armarij ad manum dextram, quatuor sunt aulæ distinctæ, vbi apparatus 50000. militibus armandis sufficiunt.

13. Nauigium ipsius Ducis, *il Bucentauro* dictum, immensi sumptus est, siquidem millies mille coronatorum pretium excedere fertur, quo dux cum purpuratis senatoribus solenni anniuersaria pompa, videlicet die *Ascensionis domini*, concurrente & comitan-

te,

re ipſum ingenti omnis ordinis, ætatis, & ſexus multitudine, in altum prouehitur, ſibique ipſum mare deſpondet, proiecto in illud arrhæ loco aureo annulo.

Inſtituunt Veneti ex auorum inſtitutis, & alias ſimiles proceſſiones ſolennes, quas vocant *Andate publiche*, videlicet die 2. Februarij ad templum *Mariæ Formoſæ*, 17. Iulij iterum ad templum *ſanctæ Mariæ*, propter recuperatum Patauium. Toto tempore *ad S. Iuſtinum*, ob victoriam contra Turcas obtentam, Anno 1571.

In feſto Corporis Chriſti, clerus vniuerſus & Dux, Senatoreſque in area ampliſſima Diui Marci circumire magna feſtiuitate ſolent. Singulis Senatoribus claudunt latus dextrum ſinguli Peregrini, vt vocantur, qui iter Hieroſolymitanum deuotionis ergò ſuſcipere cogitant.

Alla Guidecca itur, propter liberatam à peſte vrbem.

Al Pallazo ill' Genidiuol cerigualeſ, ad ſpectacula publica, venationes & mactationes Taurorum.

TEMPLA.

TEMPLA Venetijs prope sunt infinita: præcipua sunt, *S. Petro*, ibi Cathedra Petri, marmoreum Iustiniani monumentum, id est, Venetorum Patriarchæ, Anno 1455.

I.

II. *S. Giouanni & Bado*, ibi monumenta & sepulturæ aliquot Ducum Venetorum, præsertim ex familia Mocenicorum. Ante hoc templum statua equestris ænea, cum hac inscriptione.

BARTHOLOMAEO COLIONO BERGOMENSI OB MILITARE IMPERIVM OPTIME GESTVM, IOANNE MAVRO ET VENERIO SENATORIBVS, AN. SALVTIS M. CCCC. XCV.

III. S Georgio, in hoc templo Græci peculiarib. sibi ceremonijs peragūt sacra sua, & Sacerdos ipsis ex Biblijs aliquid prælegit & decantat, idque purum optima lingua Græca, non illa corupta, qua in familiari sermone vtuntur.

IIII. *S. Bartholomæi*, vbi tempore Quadrage-

drăgesimæ, conciones habentur Germanicæ. Suntque ibi Sepulturæ Germanorum, opificum præsertim.

S. *Giacomo di Rialto*. hoc templum primum est exstructum cum fundamẽta vrbis iacerentur. V.

S. *Cassiani* prope theatrum agendis comœdijs deputatum, VI.

S. *Nicolao del lido*, à quo prope abest puteus aquæ dulcis, admiratione dignus. VII.

S. Trinita de Cauallieri Tedeschi VIII.

S. MARCI TEMPLVM. IX.

OMnium splendidissimum & præcipuum maximè est, *D. Marci*, in quo ossa eius Euangelistæ, aduocati & patroni Venetorum sepulta sunt. Tota hæc ædes est nobilissimo & preciosissimo marmore, nec minori artificio quam sumptu exstructa, *materiam superauit opus*. Pauimentũ inprimis nobile habet, Porphyreticis, ophiticis taxillis tessulatum, varijsque emblematibus vermiculatum. Inter quæ nonnulla Ioachimi Sanflorij Abbatis iussu effecta, quibus ceu vates grauissimus Italiæ voluit prædicere clades; Vbi duo sunt Galli, cristis insignes, vulpem in-

Ioachimi Abbatis Prophetia.

trepide ferentes: quo placet multis significari binos Galliæ Reges, Carolum VIII & Lud. XII. qui Ludouicum Sfortiam è ducatu Mediolanensi eiecerũt. Item Leonum pinguium in aquis, & macilentorum iuxta in terra procumbentium, effigies cernuntur: quibus innui volunt, *Venetos* (qui pro insignibus Leonem vsurpant aligerum) felices & potentes fore, quamdiu mari magis quam terra se imperiumque suum exaltaturi sunt: secus, vires fortunasque immutatum iri.

In parietibus nobili marmore crustatis ad læuam binæ tabulæ sunt, variegati lapidis, candorem lineis nigris distinguentibus: in quarum commissura signum viri artificiosissimè expressum cum admiratione cernitur. Columnas pretioso ex marmore habet 26. pedes 2. crassas. Ad aram summam, gradus est nobilissimi lapidis. Ipsam aram tegit in crucem fornicata testudo quatuor fulcita columnis, & exprimit cælatura antiqui & Noui Testamẽti historias. Post aram sunt ex alabastro columnæ 4. perlucidæ, vitri instar. Ad dextram basilicæ seu ædis porta cernitur sublimis & artificiosa,

cum

cum imaginibus D. Dominici, & D. Francisci, quas dictus Ioachimus Abbas effingendas curasse creditur, antequam isti viri Sancti in lucem editi fuerunt. Intra portam illam thesaurum pretiosissimum custodiunt D. Marci Procuratores, in quo reperiuntur:

1. Coronæ aureæ 12. infinitæ æstimationis.
2. Thoraces 12. ex puro puto auro, gemmis pretiosissimis ornatæ:
3. Carbunculi, Smaragdi, chrysolithi, Topazij lapides & Margaritæ, & aurea vasa ineffabilis pretij.
4. Tres rosæ argenteæ consecratæ.
5. Duo cornua Monocerotis, quæ suspenduntur ad altare.
6. Vrceus insignibus gemmis ornatus, quem olim Cassanes Persarum Rex, Venetæ Reipub. dono misit.
7. Duo maxima candelabra ex argento, & duo thuribula itidem argentea & eximię magnitudinis.
8. Aureus Calix grandis, cum aurea patella.
9. Lilium aureum ab Henrico III. Gallię rege donatum. Item Adamas

ingentis molis ab eodem Rege donatus Ludouico Mocenico Legato, & ad hoc thesauro illatus.

10. Arbor aurea margaritis egregijs insignita.

11. Pileus seu mitra ducis pretiosissima: in cuius capite Carbunculus infiniti precij. Est & in templo locus, piscinæ similis, & fons sub tecto plumbeo, quatuor equi ænei inaurati, & area templo contigua, dicta LA PIAZZA *di S. Marco*, ad instar horti areolis distincta, quæ omnia Veneti ad eludendas contemnendasque atroces Friderici Barbarossæ minas, facienda curauerunt, vt perhibetur vulgo. Ibidem ad littus maris, duæ celsæ & crassæ columnæ erectæ conspiciuntur: in fastigio vnius, signum *Diui Marci*: in alterius *Diui Theodori* collocatum est. Locus intermedius, inter binas has columnas, locus supplicij est. In eodem foro *tres mali, indices*, vti fertur, trium regnorum, quæ sub Venetorum imperium quondam redacta fuerunt. *Documentum Venetianum* dicitur esse; illos nudos secum contorquens.

Cui moles fabricæ innititur *in Rialto*, vulgo *la Parianza* appellant.

Nu-

Numerantur Venetijs 72, Parochiæ & 74. Monasteria.

Capita siue homines vltra trecenties mille.

Pontes 400. partim publici, partim priuati. Publici publico omnium vsui seruiunt, Priuati ædibus singulorum, quas aqua alluit.

Cymbæ siue Nauiculæ, quibus per ciuitatem circumeant, (*gondulas* vocitant) censentur esse vltra 80000. ex quibus quædam propriæ sunt nobilium, quædam conductitiæ.

SCHOLAE (sic vocant confraternitates siue societates, quæ sua quæque suis sumptibus, commodo & congressu suo, exstructa habent Palatia) præcipuæ sunt, la Schola I. S. *Racco della misericordia, & D. Mariæ.*

EXTRA VENETIAS.

MVRANO, oppidum pulchrum, itidem in stagnis Adriaticis ædificatū, vbi officinæ quamplurimæ Vitriariæ. Item horti & palatia elegantissima. Templum S. Michaelis, cui vicinum est sacellum magnificum, matronæ cuiusdam nobilis, nomine *Margareta*

Aemi-

Aemiliana Veronensis, ab ea doratum quantitate memorabili 26000. duca torum, quæstu corporis parta. Signum huius est nux iuglans marmorea.

MALAMOCO, Portus Venetorum maximus & munitissimus. Exactis aliquot diebus in perlustratione admirabilis & præstantissimæ huius vrbis Venetorum, verè dictum vulgò deprehendes, *Venegia, chi tenon vede, te non preggia.*

PATAVIVM, PADVA.

VENETIIS, *Patauium* (& contra,) quotidie naues ambulant quatuor; binæ tempore matutino, binæ prima hora noctis. Hæ continuo refertæ sunt mirum in modum hominibus, ita vt ferè in prouerbium abierit: *La bona di Padua*, vt videre est ex *conuersatione di Guazo*; & aliis. Nulla enim soluit, in qua studiosi, mercatores, opifices, Iudæi, milites non reperiantur, inter quos fere obtundaris necesse est Italorum sermonibus, ineptiis, & magnus inibi fætor. E conscensa harum vna (nam alia commoditas eundi ægrè inuenitur) noctu Venetiis itur, 4. miliariũ spatium ad continentem.

tem terram, quo in loco *Brenta* siue *Meduacus* fluuius ad latus cursum suum deflectit, & valde modicum terræ inter se & aquas Venetas relinquit, qui locus Cauponam & nonnullas alias domunculas iuxta habet. LIDDO *fermo* vulgo appellatur. Hic pulchro artificio nauigatur non mari, sed terra. Prædictum enim terræ spacium ita adornatum, vt nauis per idipsum rotis ligneis ferroque bene munitis nixa, facili negotio, & sine longa mora pertrahatur, quod vbi ad summum deuenerit (vtrinque enim ista terra accliuis est) magno impetu fere sponte sua in fluuium *Brentam* vel (Patauio Venetias eundo) in ipsum mare præcipitatur. Hoc pacto à Meduaco excepti, deinde porrò sed aduerso flumine, equis nauim promouētibus, sub aurorā PATAVIVM feliciter appellitur.

In laudem vrbis PATAVINAE.

SALVE vrbs doctiloquis sedes aptissima Musis,
Magna loco, spaciosa foris, placidissima cœli

Temperie,

Temperie, muroque triplex, latißima foßis,
Et magnis celebrata viris. Hac L I V I V S *ille*
Historiæ pater est genitus: Seruantur eodem
Illius oßa loco, statuis tituloq; superbo
Hic vbi iuncta foro, nullis fulcita columnis,
Plumbea marmorei pulchrè stant tecta Palat.
Hic etiam Paulus, *Iuris Legumque peritus,*
Et statuas alij meruerũt vrbis alũni.
Hæc quoque Valerio *patria est, qui* Iasona *laudat.*

Valerius Maxim. an Patauinus.

Hæc patria Asconio & Stellæ; *prætoris in arce*
Effigies quorum, & titulos spectare licebit,
Atria Romanum referunt vbi picta senatum.
Hic quoque suprema Longoli *conderis Vrna,*

In

Inscripsitque tuæ Bembus tria carmina tumbæ,

Te Iuuenē rapuere deæ fatalia nētes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi si canos seniumque dedissent.

PATAVIVM.

PATAVIVM, Padua, Venetorū vrbs, à Padi vicinitate dicitur, vel Padauium ἀπὸ τοῦ πέδεσθαι, id est volando, quod captato augurio dicatur, conditum: vel à petendo, quod telo auem antea petijsse dicatur, eoque in loco vrbem condidisse. De huius vrbis conditore, etsi historiæ fusius tractent, tamen sufficiat hoc loco notare ea quæ Veneti in porta nimirum Sanctorū, (quæ vulgo *Il Portello* nominatur) qua naues per Brentam eo venientes appellunt, ascribi curarunt his verbis:

„ Hanc antiquissimam vrbem literarum omnium asylum, cuius agrum fertilitatis lumen natura esse voluit, Antenor condidit, vt ferūt 1108. ante Christum natum (vnde primo *Antenorea* dicebatur, vnde *Antenorida*, nunc vero

Pa

Patauium) Senatus autem Venetus
„ his belli propugnaculis, ornauit.
„ Fuit hæc vrbs per multos annos in
potestate & gubernatione Principum
Carrariensium. Quando Veneti huius dominium nacti sint, & hoc ipso
aliisque arcibus ab Imperat. Maximil.
I. exuti, iterum in huius possessionem, quam adhuc retinent, peruenerint, Historiæ tum aliorum, tum
Franc. Guicciardini testantur, qui
hic diligenter legendus: & quæ infra
de *Patauij* situ posuimus, libr.
IV. & libr. III. Itinerarij
prioris.

ITA-


GOLFO
DI
VENETIA
ITALIA
CORSICA
Venetia
Padua
Vicenza
Trevigi
Concordia
Trieste
Zara
Spalato
Lissina
Cursola
Pelagasa
Ravenna
Rimino
Vrbino
Ancona
Ferrara
Mantua
Mirando
Parma
Regio
Modena
Bologna
Fiorenza
Pistoia
Pisa
Siena
Perugia
Spoleti
Oruieto
Viterbo
Terni
Narni
Roma
Fondi
Capua
Salerno
Amalfi
Manfredonia
Bari
Monopoli
Conversano
Capo S. Vito
Cosenza
Regiano
Tropea
Capri
Iscla
Plonosa
Christo
Monte
Imola
Furli
Cesena
Faenza
Camerino
Chieti
Lanciano
Triuento
Luceria
Morela
Aquino
Nocera
Bucino
Albano
Cancelara
Castelano
Taranto
Policoro
Beluedere
Bisignano
Bibona
M. Lione
Stagno d'Diana
Stagno Vrbino

ITALIA LVSTRATA à BARTHOLOMAEO LATOMO Belga Eloquentiæ Regio Professore Lutetiæ.

Ex oratione an. CIↃ.IↃ.XLI. *habita.*

SCITIS, auditores, quantæ celebritatis apud omnes gentes & fuerit quondã, & hodie sit ITALIA, quantumq; experita nõ solum nostris, sed etiam priscis hominibus. Quicquid legimus, audimus, discimus, quicquid loquuntur libri nostri, in quibus versamur quotidie, ea omnia impressa sunt illius vestigijs. Hæc religionem, hæc Rempub. hęc disciplinam militarem, libertatem, imperium, quam optimè diutissimeque tutata est: ea nõ ingeniis, non litteris, non agri fertilitate, non disciplina vitæ, nõ vllo virtutis genere vlli gentium vnquam concessit: quæ etsi mutata sunt hodie, ac temporibus defluxerunt, tamen manet adhuc nominis gloria, & ad nos vsque multis sæculis propagata est. Huius videndæ studio fateor me multis annis incensum fu,sse,

fuisse, sed interiecta temporibus difficultas conatum meum impediuit. Oblata est tamen aliquando facultas, postquā octo iam annos in hoc Gymnasio publicè priuatimque stipendia fecissem; Annum liberum impetraui ab optimo magnificentissimoque Rege Galliæ, cuius benignitatem nunquā satis laudare possum. Itaque profectus sum. Exponam hic breuiter, auditores cursum itineris mei, vt si quem fructum percepi ex nobilium vrbium perlustratione, eius vos hoc in loco quātum fieri potest, ex oratione mea participes efficiam. Superatis Alpibus primum in Taurinos, deinde *Mediolanum* veni: quę vrbs magna & copiosa in agro fertilissimo sita est. Arcem habet inexpugnabilem, illam quam sæpe memorari audistis, quæ opposita est vrbi in planicie, ad læuam, vbi hinc accesseris, modico interuallo, agroq; omni circum nudato, ne quid fallere possit. Hanc qui tenet, vrbe potitur capite ditionis opulentissimæ: de qua tot annis inter maximos exercitus nostros dimicatum est. Petiui hinc Venetias, quo in itinere post Brixiam, Veronam, Vicentiam, *Patauium* vidi

Mediolanū

Patauium.

no-

nobilem illam atque vetustam vrbem, in cuius Gymnasio Alexander Socinus est, iurisperitus celebris, & Lazarus Bonamicus humanarũ literarum Professor: quem cum salutassem, cumq; vnà essemus apud amicum quendam, eruditionem eius, qua ante mihi notus erat, ex multo & vario sermone libenter recognoui. *Venetiæ* omnium mihi quas vidi pulcherrimæ videntur, cum ædificiorum elegantia, tum cœli serenitate. Vrbs magna & opulenta, porrecta in longum, & quod mirum est, in ipsis aquis Adriatici maris fundata. Nihil æque admiratus sum quam primos conditores ausos fuisse vrbem fluctibus committere. Sed coegit necessitas, infesta à barbaris Italia, & paulatim in cœptum opus in tantam magnitudinem excreuit. Templa, fora, basilicæ magnifice ornatæ, cum æs, marmor, manus artificum, visantur etiam in priuatis ædificiis. Forte aderant legati à Cæsare & rege Galliæ, qui magno cum apparatu communem legationem obibant. In horum comitatu cum essem, vidi armaria publica refertissima omni armorum genere, siue terra siue mari pugnandum sit.

Venetiæ.

Ele-

Elegantia certabat cum varietate : vt non arma te, sed thesaurum pulcherrimum spectare putares. Iam nauale huius ciuitatis(*Arsenale* vocant)quam egregia &quam digna spectatu res est, officina omnium quas extare puto, & maxima & omni nauali apparatu longe instructissima. Oppidi magnitudinem obtinet, sita in parte vrbis, murisque cincta, vt ipsa per se, si qua vis ingruat, teneri ac defendi possit. Quatuor millia operarum alit quotidie: quorum alij naues ædificant varij vsus ac magnitudinis, alij vela, anchoras, bombardas, cæteraque armamenta expediunt. Puto similes quondam in re nauali fuisse Athenas, quarum opes & res gestas cum legimus, etiam hodie admirari solemus. Docet in hac vrbe iuuentutem *Baptista Egnatius*, iam senex, sed doctus & sanctus vir, cuius eruditione & eloquentia coniuncta cum summa hilaritate in docendo valde delectatus sum. Relictis Venetiis Ferrariam, atque inde Bononiam perrexi, vt in Bononiensi Gymnasio hyemarem. *Ferraria* munitissima est inter vrbes totius Italiæ, & Gallico nomine peramica. Ibi Renata est femina nobilissima

Bapt Egnatius Venet. Professor.

bilissima, orta ex regio Francorum sanguine, ac Duci Ferrariæ in matrimonio coniuncta: quæ mulier decus ac specimen matronalis sexus, in maxima fame Italiæ aluit ciues suos: nec quenquam egere passa est, nisi qui curam eius diligentissimam fefellisset. Ea cum intelligeret me in regio stipendio esse, inuitauit per doctos viros, domesticos suos; atque etiam discedentem hospitali munere prosecuta est. Gymnasium in hac vrbe ornat *Cœlius Calcagninus* vir doctus, & philologiæ literis clarus, quem docentem audiui, cum locum Ciceronis de animorum immortalitate in prima Tusculana explicaret. *Bononia* amplior est, & celebritate Gymnasij illustrior, cui neque Scholasticorum frequentia, neque nobilitas professorum deest. Itaque hic hybernaui. Professorem habet in Iure ciuili doctissimum clarissimumque hominem, *Andream Alciatum*, quem magna cum dignitate, & eloquentia docentem audiui quotidie. Audiui & *Curtium* Medicum insignem, & *Romulum Amasæum* bonarum literarum professorem, cum libros Ciceronis de oratore interpretaretur. Doctus hic vir, & in congressu perhumanus est; sed

Cœlius Calcagninus.

And. Alciatus I. C. egregius.

puri & casti sermonis præter ceteros, vt parem eius curam & in scribendo, & in loquendo agnoscas. Multos transeo doctos & excellentes homines, quos neque attinet commemorare hoc in loco, neque singulos possum hoc tempore.

Exacta hyeme *Florentiam*, atque inde paucis diebus Romam profectus sum. *Florentiam* amœnitate agri merito *pulcherrimam* dici puto. Eam Arnus interluit, collibus vndique assurgentibus, med a valle in planiciem deducta. Crebra circum prædia, eaque cultissima vsque in summos colles, quantum in omnem partem ab vrbe prospici potest. Arx ædificatur ad dextram, quà hinc acceditur, opus amplum atque munitum, quod iam bona parte perfectum tenetur Hispanorum præsidio, ad coercendam vrbem, cuius potentia paulo antè vicinis infesta erat. Venio nunc ROMAM, cuius gratia inprimis hæc peregrinatio mihi suscepta fuit. Nam SENAM prætereo, quæ etsi Gymnasium habet, tamen nihil est in ea præter templum vnum, & veterum ædificiorum altitudinem visendum. Ad Romæ conspectum

Roma.

Sena.

ſpectum primum obſtupui, voluens animo, quanta fuiſſet quondam illa inclyta imperij orbis terrarum ſedes, quam diſpar præſens fortuna. Vrbs ingenti ambitu ſeptem amplectitur colles, decliuis in planiciem quà ad nos ſpectat. Montes à læua procul ex Apennini iugis, dextrâ Ianiculus cum Vaticano, magna parte vterque mœnibus incluſus. Parte vna allabitur *Tiberis*, anguſto ſed præalto alueo deſcēdens ex montibus per patentem regionem: obliquus qua primum accedit, inde flectens ſenſim interluit infima vrbis, quæ inter Auentinum montem & Ianiculum ſunt, donec egreſſus longo tandem interuallo in mare, quod inferum vocant euoluitur. *Veterem vrbem* vocant, quæ tota in ruinis eſt, cuius amplitudo ſeptem ferè collibus vniuerſa continetur: *nouam*, quæ vergit ad Tiberim, nunc crebra ædificijs, ac ſola penè *Roma*, cū rarior quondam, & in campos ferè diuiſa fuerit. Operæ pretium eſt videre ingentes ruinas publicorum priuatorumque operum, ex quibus ſolis patet quanta Roma fuerit: Templa, porticus, theatra, fora, arcus, aquæductus alia reſciſſa pendēt abruptis molib. alia collapſa

 mon-

montes æquasse diceres; aliorum vestigia nusquam nisi in fundamentis apparent. Nihil integrum est ex tanta magnitudine, nihil forma sua præditum, sed obruta vastaque omnia, creuitq; solum ruinis, in quo iacet quæcunq; Roma quondam appellata fuit. Miseram conditionem rerum mortalium, in quibus nihil perpetuum esse tam illustria exempla docent. Fateor, auditores, ex hoc spectaculo me magnum fructum cepisse peregrinationis meæ. Non enim vnquam ignoraui humana omnia mortalia atque caduca esse. Sola recte facta manere, nosque immortales efficere, Quam persuasionem cum semper habuerim, cumque ita senserim non solum ex philosophia, sed etiam ex Euangelicis literis, tamen nescio quomodo acrius commouerit animum meum tanti exempli imago, quæ subiecta oculis repræsentabat veterem fortunam vrbis sæpe ex literis mihi cognitam, eandemque subito quasi somnium de medio auferebat. Vidi iacentem atque oppressam clade sua vrbem illam, quæ quondam victrix & domina rerum humanarum sola penè casus humanos contemnere potuit.

tuit. Quid nos? pergemusne fidere pereunti vitæ? & nos opum voluptatumque ſtudio tot curis atque laboribus frangemus? Non videmus quam breuis ſit vſura conceſſa lucis? quam niſi virtuti impendimus, & hic fructu carebimus contentionum noſtrarum, & ad meliora aſpirantes in medio curſu concidemus. Nunquam mihi nimia potentia magis quam ſecuritas, diuitiarum copia potius quam frugalitas & animi quies, expetenda viſa eſt. Itaque ipſe elegi vitæ genus, vt non turbulentum, ita neque ignauum, & quod procul ab ambitione atque inuidia ſemotum ſit. In hoc ſi perſiſtam, & cum parſimonia virtutem colam, quis eſt qui me poſſit beatius viuere? meamque ſecuritatem cum maximorum Regum opibus conferre? ſed redeo vnde digreſſus ſum. Expoſui curſum vobis peregrinationis meæ, & ſumma dumtaxat capita delibaui: nemo à me requirat, vt ſicut faciem locorum quorundam, vrbiumque illuſtrium fortunam; ita mores & inſtituta ciuitatum commemorem. Non enim ſatis cognoui iſta, & ſi cognoſſem, tamen non putarem ea aut mei

negot j,aut huius loci ac temporis esse. Illa duntaxat referre volui, quæ propius coniuncta cum studijs nostris, neque mihi dictu difficilia hoc tempore, neque vobis auditu iniucunda forent. Suis moribus viuit *Italia*, suis *Germania*, nos nostris. Italis ingenia natura tribuit; Germanis constantiā & in Orthodoxis Fidei religionē; nobis humanitatē. Quod si cōmunicare inter nos, & aliorū dotes alij assumere possemus, minus inter tres præclarissimas nationes interesset, Nunc cum suis quisque delectetur moribus, inuicem vitia obijcere solent qui sua non norunt Magna dissimilitudo est non nationum tantum, sed etiam singulorum. Venetijs lautè tractatus fui; Romæ à furibus compilatus. Quid singulorum virtutes, vitia, studia, mores, commoda aut incommoda commemorem? Scio in eo vos curiosos non esse. Illa mihi semel dici possunt, *belligerare Mediolanenses, Venetos nauigare, docere Bononiam, Florentiam negotiari, Romam scribere*. Quod si studere scriptores Romani, quam scribere, mallent, Vaticana bibliotheca (quam ego omni librorū genere copiosissimam vidi) conten-
tioni

tioni eorum non sufficeret, Nunc eo redacta res est, vt scribere liceat, atque adeo necesse sit, cum perdita veteri Roma nouam qui velit, alia ratione tueri non possit, Hæc ille: sed quando odiosa est nationum inuicem comparatio, vt extrema hac parte Latomus diserte innuit, quia

Qui volet ingenio cedere nullus erit:

De Ecclesiastis sic quondam anonymum prædicantem audire memini.

Galle doces, delectas Itale, flectis Ibere.

Et illud commemorandum: *Orat Italus, disputat Hispanus, Gallus commentatur, Germanus interpretem agit*: ita tamen vt aliæ in alijs virtutes dotesque reperiantur, quandoquidem vt Homerus canit:

Non vni dat cuncta Deus.

DOCTISS. ITALIAE SCRIPTORES.

POETAE.

P. VIRGILIVS MARO Mantuanus

P. HORATIVS FLACCVS Venusinus.

P. OVIDIVS NASO Sulmonensis.

Sex Aurelius PROPERTIVS Vmber.

Q. Valerius CATVLLVS Veronensis.

TIBVLLVS eques Romanus.

RECENTIORES.

P. Bembus Card.
Andreas Naugerius
Veneti.
Hippolytus & Lælius Capilupi
Balthasar Castalioneus
Mantuani.

Iac. Sadoletus
N. Cortesius
Franc. Marius Molsa,
Mutinenses.
Caro. Sigoninus Mutinensis
Franc. Robortellus Vtinensis
Philologi.
Faustus Sabæus
Laurentius Gambara
Brixienses.
Achilles Bochius
M. Ant. Flaminius
Camillus Palæotus,
Bononienses.
Angelus Politianus
Dantes Aliger
Franc. Petrarcha,
Florentini.
Strozza Pater, & F.
Cælius Cinthius
Ferrarienses.
Hieronymus Vida Episcop.
Gabriel Faernus
Benedictus Lampridius,
Cremonenses.

Hieronymus Fracastorius
Iulius Cęsar Scaliger
Ioannes Cotta
Veronenses.
Gabr. Altilius Lucensis
Aonius Palearius Verulanus
Iouianus Pontanus
Actius Syncerus Sannazarius
Neapolitani.

IVRISCONSVLTI *Itali:*
BARTOLVS Saxoferratensis
Baldus Perusinus
Paulus Castrensis
Iason Mediolan.
Andreas Alciatus Mediolan.
Decius quoque
Butrius Bononiensis
Marsilius, Salicetus, Azo, Bonon.
ACCVRSIVS Florentinus
Lanfrancus Brixiensis
Cepolla Veronensis
Albericus Bergam.
Maria Felinus Ferrariensis
Aluaratus Patauin.
Ferrarius & Ripa Papienses.
vt & Curtius pater & filius
Socinus Pater & Filius, Senenses
An-

Angeli duo Aretini

ITALORVM *de suis vrbibus Iudicium.*

ROMA la Sancta
Venetia, Riccha & Saggia
Neapoli gentile
Fiorenza Bella
Milano grande
Bologna la grassa
Ferrar ciuile
Padoua forte
Bergamo sottile
Genoa, la superba
Mantoa gloriosa
Siena, de bel podere.
Lucca industriosa
Capua amorosa,
Pezaro, giardino
Ancona, con bel porto.

ITINERARII
LIBER SECVNDVS.
VRBIS ROMAE ADMIRANDA.

Colles VII. Ecclesiæ totidem antiquiores. Thermæ. Amphitheatrum, ceteraque.

VRBS ROMA, (quę caput orbis merito laudatur) partim sita est in Hetruria, partim in Latio: Suburbium & Transtiberina regio in Hetruria collocantur; pars reliqua in Latio, autore Botero.

ROMA habet turres ipsorum mœnium numero 360. quarum multæ sunt collapsæ, multæ ita vetustate corrasæ, vt indies ruinam minentur.

Portas adhuc habet 19. Pontes 8. Dicitur singulis tringinta annis ROMÆ

aut

aut inundationem, aut aliud grande damnum euenire. Quæ hac in vrbe visu digna sunt, ad duo præcipuè capita referri possunt. Primum continet sitū, ruinas, & rudera templorum, monumentorum, & ædificiorum Romæ antiquæ. Secundum complectitur templa & reliquias Sanctorum, dona & munera indulgentiarum, deuotè loca sacra visitantibus proposita: Item fabricas, & palatia ROMÆ nouæ. Sed cum de vtroque horum lingua Italica editus sit libellus sub titulo, *La Cose notabili di* ROMA, in quo reliquiæ Sanctorum, septem templorum notatione definiuntur, & Antiquitates trium dierum circumcursione indicantur: cum item infiniti ferè authores extent, qui tum Latinè tum Italicè de vrbe Roma scripserunt: studio breuitatis ea tantum attingenda erunt, quæ à nobis obseruata & visa sunt, & memoriæ causa notatu digna videbuntur. Itaque prout quodque in mentem veniet, notabitur.

CAPITOLIVM.

Ex septem vrbis Romæ montibus præcipuus est, *Capitolium*. Versus autē omnes colles vrbis conprehendens:

Palat,

Palat: Auent: Capito: Esqui: Vimina: Quirin.

Hortos trans Tiberim, sequitur Vaticanus, Ianus)

Sic vero dictum à capite humano capitol ū, quod olim dicitur apparuisse sub terra ijs, qui fundamenta templi Iouis aperuerunt, cum ante *Tarpeius mons* diceretur à virgine Tarpeja, quæ arcem Capitolinam patris Tarpeij custodiæ commissam Sabinis hostibus prodidit: cumque ab ijs proditionis peteret mercedem (pacta autem erat quicquid in sinistris illi brachiis gestarent, armillas intelligens, quas Sabini aureas gemmatasque læuo in brachio ferebant) fraudulenter scutis illorum obruta, ibique in monte sepulta, *Tarpéio* monti nomen fecit, qui ante *Saturnius* dictus fuerat. Diuidebatur autē Capitolinus mons in arcem & Capitolium, habebatque ædificia plurima. Hodie nihil in Capitolio præter Monasterium *Ara Cœli*, quod est fratrum Minorum Zoccolantium, & Palatium Senatorum & Conseruatorum. Eo autē loco vbi templum istius Monasterij S.

Ma-

Maria de Ara Cœli dictum, olim ædes fuit Iouis Feretrij. Ibi ad columnam quandam cancellis munitam ostenduntur vestigia Angeli, qui super *Castello S. Angeli*, exinde postmodum sic nuncupato apparuit quondam, cum imago B Virginis Mariæ quæ nunc est in altari maiore, processionaliter portaretur tempore pestis, & sic liberata fuit hæc alma vrbs.

In area Capitolii, sub prædicto cœnobio fons est, supra quem caput marmoreum muro insertum est, ex cuius magnitudine colligitur fuisse cuiusdam Colossi, & iuxta fontem inter alia fragmenta reperitur pes, & pars brachij ex marmore, itidem insignis magnitudinis, vt partes fuisse dicti Colossi videantur. Sub hoc capite in fonte ipso recumbit ingens statua marmorea, quam *Marforium* vocant. A doctis *pistorius Deus*, siue *Panarius Iupiter* esse creditur, quod tumores instar panum circumquaque prominēāt: alij existimant esse simulacrum Rheni Germaniæ fluuij. Huic affigi solent scripta & ipsa famosa, responsoria tamen & Antiphona illis, quæ ad Pasquinum prius publicantur. Hic Pasquinus

quinus statua cuiusdam gladiatoris brachijs & facie mutila, ante ædes cuiusdam Alphonsi Caraffæ Cardinalis. etiam edicta monitoria & id genus scripturarum eo affigi solent. Supra Pasquinum prædictis ædibus lapis marmoreus inclusus est, continens memoriam & altitudinem inundationis Tyberis, Anno 1530. 3. die Octobris, sedente Clemente VII. Sed redeamus in aream Capitolij. Pro ædibus Conseruatorum alius fons, ex aqua Felici, simulacro vrbis Romæ ornatus: iuxta eum fontem duo pari forma marmorea seminuda simulacra fluuiorum visuntur, quæ quantum rerum argumentis deprehendi potest, *Nili ac Tigridis* fluminum sunt numina, quorum alterum Sphinga Ægypti peculiare animal, cui cubito innititur, habet. Alterum verò Tygridem Armeniæ truculentam feram: inque eorum sinistris est *Cornu copia*, rerum affluentiam significans. Ibidem etiam ex marmore vetus, lupæ Romulum & Remum lactantis signum. In harum ædium siue, palatij huius, aula maiori hæc leguntur: GREGORIO XIII. P. M.

Ob farinæ ſublatum vecti-gal,

Vrbem templis & operibus magnificentiſsimis exornatam,

Solidos octingentos ſingulari beneficentia in egenos diſtributos,

Ob ſeminaria externarum nationum in vrbe,

Ac toto penè terrarum orbe propagandæ Religionis cauſa inſtituta,

Ob paternam in omnes gentes charitatem,

Quæ ex noui orbis inſulis Iaponiorum Regum

Legatos trienniј nauigatione ad obedientiam Sedis

Apoſtolicæ exhibendam, primum venientes ROMAM,

Pro

Pro Pontificia dignitate accepit.

S. P. Q. R.

Domitio Cauallucio,

Richardo Marnatherio, Honorio Triuiro, Dominico Iaco, Accio de Faroschio, Hortensio Celso, Iulio Pompilio Coss.

A latere in pariete statua regis Siculi Caroli, sedens & globum manu altera tenens: cum hoc tetrasticho:

Ille ego praeclari tuleram qui sceptra Senatus:
Rex Siculis Carolus iura dedi populis:
Obrutus heu iacui saxis, fumoque dederunt
Hunc tua conspicuum tempora Sixte locum.
Huc me Matthaeus posuit Thuscanus, in aula,
Et patriae & gentis gloria clara suae.
Is dedit & populo post me bona iura Senator,
Insignis titulis, dotibus atq; animi.

Anno

Anno Domini M. CCCC. LXXXI-
I I I. Semestri.

In alteris verò Conseruatorum ædibus quamplurima reperiuntur antiquitatis monumenta. Extat ibi ingens æneum caput, quod demptum Colosso Neronis suæ imposuit statuæ Cõmodus Imperator: cuius Colossi ex marmore reliquiæ perhibentur, de quibus paulo ante apud Marforium. Itemque hîc pes alter asseruatur, quinque pedes longus. Vnguem digiti maioris vix lichas exæquat. Ibidem monumentum Alexandri Seueri Imp. qui in Germania apud Moguntiam perijt, vrna ingens marmorea, artificiosa sculptura, cui incumbunt statuæ duæ, altera Imp. altera matris, cum noua Epigraphe.

S. P. Q. R.
MONVMENTA SEPVLCRALIA
ALEXANDRI SEVERI IMP.
& IVLIAE MAMMEAE MATRIS.

Sabinarum etiam raptu ob pacem de nouo initam, marmore insculpta ornataque in agro Fabricij Lazari extra portam Labienam reperta, in Capitolium poni iussit, *Achille Cyno, M.*

An-

M. Antonio Capriata, Iulio GloreriοCoß. Alexandro Caparella Priore.

Ibidem alia vrna marmorea capax cũ antiqua ſcriptura: oſſa Agrippinæ, M. Agrippæ D ui Aug. neptis vxoris Germanici & Cæſaris, Matris C. Cæſaris Auguſti Germanici Principis, Item ex marmore ſimulacrum Leonis equum dilaniantis.

Ibidem ſtatua Cereris: nec non Mineruæ: hæc de Parietinis vrbis eruta, in Capitolium translata eſt, ſub Paulo III. Aſcendendo in ſuperiorem palatij contignationem iuxta ipſos gradus viſuntur marmorea ſigna parietibus incluſa L. Veri Antonini de triumpho Parthico, ſiue M. Antonini de triumpho Dacico; nec non ſtatua Vraniæ: Itemque alterius cuiuſdam fœminæ manu ſiniſtra Cranium tenentis. In atrio deinde ſtatua C. Marij, cum antiqua hac ſubſcriptione:

S. P. Q. R. *Mario VIII. Coſ.*

Iuxta hanc parieti nouiter inſertus acipenſer piſcis marmoreus, adſcripto præcepto quodam piſcatoribus Romanis obſeruando:

Capita piſcium hoc marmoreo

Sche-

Schemate, longitudine maiorum

Vſque ad pinnas, incluſiue,

Conſeruatoribus danto.

Fraudem ne committunto.

Ignorantia excuſari ne creditor.

Ang. Clauario, Fr. Canio Sergardia Coſſ.

Reſtauratum & erectum.

Inferius parieti inſita Columna tribus roſtris Nauium inſignita, naualia trophæa repræſentans. In aula, ſtatua ænea Herculis imberbis, dextra clauam, ſiniſtra vero Heſperidum mala tenentis. Statua ænea Auentini pueri, quem veteres Romani pro Deo coluerunt, nuper è ruinis in monte Auentino eruta. Ænea lupa, à cuius vberibus vrbis conditores Romulus & Remus dependent. Æneum ſimulacrum pueri ſedentis, & ſtylo puſtulas pedis aperientis.

In medio areæ Capitolij ſtatua equeſtris ænea: in cuius baſi hæc leguntur: *Paulus III. P. M.*

Sta-

In medio areæ Capitolij statua equestris ænea: in cuius basi hæc legũtur

Paulus III. P. M.
Statuã equestrẽ à S.P.Q.R.
Marco Antonino Pio etiam tum viuenti
Statuam, varijs deinde vrbis casibus euersam,
& à Sixto V. P. M. ad Lateranensem Basilicam repositã,
Vt memoriæ optimi Principis consuleret,
Patriaque decora & ornamenta restitueret,
Ex humiliori loco in aream Capitolinam
Transtulit, atque dicauit:
Anno salutis M. D.XXXVIII.

IN CAPITOLIO

iuxta Fastos Roman. in basi statuæ marmoreæ ALEXANDRO Farnesio erectæ, Inscriptio.

ALEXANDER FARNESIVS
OCTAVII F. PARMAE AC
PLACENTIAE DVX III.

Philippi Hispaniarum Regis
Imperia detrectantem
Mastrictum vrbem munitissimam expugnauit.
Bironium Gallũ diuersarũ partium ducem collatis signis prælio vicit.
Dunkercam, Gandam, Brugas Hypras, Teremundam, Bruxellas, Sclusam, aliaque plurima Belgi Opida
Aut vi cepit, aut ad deditionem compulit:

Ant-

Antuerpiam nullis humanis viribus expugnabilem,
Ingenti ad Scaldim Fluuium operum magnitudine
Circum-munitam, in deditionem accepit:
Nouesium receptum Colon. Archiepiscopo reddidit:
Belgas omnes qui continentem incolunt
In Philippi Regis potestatem
Et ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reduxit.
Hasce ob res aliasque fortiter gestas,
A. S. P. Q. R. summi Imper. Elogio
Prope maiorum triumphos,
Quorum vicem aut vicit aut certe æquauit
Ornatus est.

FASTI

FASTI ROMANOR.

Consulum & Dictatorum ac Triumphorum, pone spectantur, thesaurus ingens Antiquitatum, formaque historiæ ac temporum. Adscriptum hunc leges titulum, versusq́; Michaelis Siluij Card. Lusitani elegantes ad vrbem Romam.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
MONVMENTA MARMOREA MAGISTRATVVM
TRIVMPHORVMQVE AB VRBE CONDITA
AD TEMPORA DIVI AVGVSTI RVDERIB.
IN FORO EGESTIS ERVTA, IMPENSA
ALEXANDRI FARNESI CARD. PAVLI III. P. M.
NEPOT. IN CAPITOLIO POS.

Schottus: Hub. Goltzius Numisma_
tum adiecit icones graphicè sculptas.

COLVMNA C. DVILII
Rostrata.

Offert sese gradibus atrij descendentibus, monumentum & hoc rancidæ Antiquitatis in linguæ Lat. infantia, teste Quinctiliano, suppleta Inscriptione basis. à Petr. Ciacconio Toletano, Hispano doctissimo, qui & singulari explanauit Commētario: exstatque Columna Tomo II. Annalium Pigh.j ad annū V.conditæ CCCCXCIII. De toto autem Capitolio egregie Iustus Rychius nuper disseruit lib. singulari Antuerpiæ & Gandaui edito anno M.DCXVIII.

E regione ab vtraque parte descensus statua marmorea, sic satis grandis, Græcorum more nuda, equum ex marmore manu ducentis, quæ Imperatorum quorundam esse videntur. Iuxta singulos singula C. Marij trophæa marmorea sunt collocata, quæ illi de triumpho Cimbrico erecta fuerunt. Sunt autem trunci cum spolijs; & vnum quidem habet thoracem cum ornamentis & clypeis, & ante se imagi-

nem captiui iuuenis, brachijs post tergum vinctis: alterum vero instrumenta omnia ad pugnandum & clypeos.

Ab altera parte ad radices Capitolij, sacellum est subterraneum, eo ipso in loco vbi carcer Tullianus fuit, ibiq; Diuus Petrus captiuus detentus fuit, ideoque adhuc appellatur ædicula S. *Petri in carcere Tulliano.* In foro Romano quod inde proximè abest ad Cliuum Capitolinum arcus Septimij cōspicitur integer adhuc, in quo monumenta victoriæ terrestris & maritimi prœlij, cum hac inscriptione:

IMP. CAESAR. L. SEPTIMIO
M. FIL. SEVERO, PIO, PERTINACI, AVGVSTO.
PATRI PATRIAE,
PARTHICO, ARABICO, ET PARTHICO,
ADIABENICO PONTIF. MAX: TRIBVNIC. POTES.
XI. IMPER. XI. COS. III. PRO CONS. ET IMP.
CAES. M. AVRELIO L. FILIO
ANTONINO AVGVSTO
PIO

PIO FELICI
TRIBVNIC. POTEST. VI.
COSS.
PRO COS. P. P. OPTIMIS
FORTSSIMIS QVE
PRINCIPIBVS, OB REMP.
RESTITVTAM
IMPERIVMQVE P. R. PRO,
PAGATVM,
INSIGNIBVS VIRTVTIBVS
EORVM DOMI FORISQVE.
S. P. Q. R.

Non procul inde ſeptem adhuc columnæ pulcherrimæ conſpiciuntur, quæ ſuperſunt de templo Concordiæ, Tres reliquæ columnæ modico ſpatio diſtanres ſuſtinuerunt Pontem à Caligula exſtructum, quo ex Capitolio in Palatinum montem tranſibatur, vt teſtantur aliæ tres columnæ è regione ad radices montis Palatini, & ſub hoc ponte Templum Auguſti perhibetur fuiſſe. In hortis proxime vicinis lacus Curtij fuit. E regione verò arcus Septimij ſequitur ædes D. Martino nunc ſacra. Vbi olim Secretarium populi Romani fuit. Deinde ſtatim rectà ſequitur templum D. Hadriani

driani,olim Saturno ſacrum , in quod ex Capitolio ærarium populi Romani tranſlatum ferunt; eius portæ æneæ adhuc integræ.Inde ituro ordine ad templum M, Aurelij & Fauſtinæ vxoris eius,filiæ D. Antonini Pij; mox ad aliud templum D. Coſmo & Damiano nunc,olim *Romulo & Remo*, ſiue potius *Caſtori & Polluci* dicatum, antiquiſſimæ ſtructuræ Mox ad templum Pacis,cuius bona pars adhuc extat propè ædem Diuæ Mariæ nouæ, & inibi columna tantæ craſſitudinis vt vix tribus eam complecti poſſis vlnis.

MONS PALATINVS.

E Regione horum templorum , ad alteram fori Romani partem,vineæ ſiue horti Farneſiorum,bonam montis Palatini partem occupant,reliquum eius ferè ruderibus & ruinis veterum ædificiorum repletum eſt,Iuxta eos hortos & prædictum templum D Mariæ nouæ,vbi olim *Via ſacra* , conſpicitur arcus marmoreus Titi Veſpaſiani; in eius honorem extructus deuictis Hieroſolymis,in quo ſculpta ſunt victoriæ inſignia , cum arca fœderis, & aureo candelabro , duabuſque tabellis legis Moſaicæ,vaſis templi , menſaque aurea. Hinc

Hinc recta peruenitur ad Amphitheatrum admirandæ molis, vulgo *il Coliseo* à Colosso Neronis, qui ibi fuit, dictum: quod à Vespasiano Imp. inchoatum, deinde à Tito fuit perfectum. Hinc octo quasi passibus vestigia adhuc *meta sudantis*. Haud longe hinc ad angulum montis Palatini arcus triumphalis marmoreus Imp. Constantini, trophæis & victorijs allatis, triumphalibusque ornamentis conspicuus.

Superest etiam in foro boario arcus siue porta marmorea, arcus boarius, siue arcus aurificum, appellatus: habet veterem inscriptionem, itemque immolationes taurorum, & instrumenta cum victimarijs & sacrificulis, ad sacrificia peragenda accinctis. Secundum hunc arcum, *schola Græca*, nunc ædes D. Georgij, & inibi *la boca della verità*, id est, os veritatis (lapis rotundus, cui faciei incisa est figura) itemque Iani quadr. fontis templum, quatuor habens portas, ac in cuiusque frontispicio duodecim fenestellas, 4. anni tempora cum duodecim mensibus designantes. Paulo post templa Solis & Lunæ.

MONS AVENTINVS.

E regione *Mons Auentinus*, iuxta quē in ipso Tiberi vestigia adhuc reliqua sunt Pontis sublicij, in quo Horatius Cocles diu Thuscorum impetū strenuè sustinuit. Hinc itur ad montem Testaceum, quem & *Dolcolum* vocitant; nec non ad sepulcrum C. *Cestii Septemuiri Epulonum*, pyramidali forma, quod iuxta portam Diui Pauli ipsa vrbis mœnia ita diuidit, vt media eius pars extra vrbem sit, pars altera in vrbe. Circumeundo montem Auentinum ab altera parte, peruenitur ad Circum maximum.

MONS QVIRINALIS.

MOns *Quirinalis*, hodie vocatur *monte Cauallo*, in eo equi olim fuisse perhibentur inaurati 34, & eburnei 94. Nunc non nisi bini Bucephali iuxta singulas Alexandri Magni statuas marmoreas, integri supersunt; alter Phidiæ, alter Praxitelis nobilissimorum sculptorum opus, In hoc mōte Palatium regium, in quo Papa æstiuo tempore fere commoratur. Habet hortum spatiosum pariter & amœnum, fonti-

fontibus compluribus irriguum, quos inter palmam obtinet, qui in meditullio quasi ipsius horti rupem repræsentat cauernosam, vndique aquis quasi pluuiis scatentem; in medio Cauernæ statua Dianæ Lauantis.

MONS ESQVILINVS.

NOn longe hinc procedendo versus Exquilias, in via pia, ad quatuor domus angulares quatuor fontes visuntur; & inde *Castellum aquæductus Felicis*, à Sixto V. ita dicti, in quo aquæ magno impetu ruunt.

Insigne est statua Moysis, & titulo tali:

SIXTVS V. P. M. PICENVS,
AQVAM EX AGRO COLVMNAE VIAE PRAENEST.
SINISTRORSVM MVLTARVM COLLECTIONE VENARVM,
DVCTV SINVOSO à RECEPTACVLIS MILLIARIBVS XX.

A CAPITE XXII. ADDVXIT, FELICEMQVE DE NOMINE ANTE PONTIFICIS DIXIT.

COEPTVM PONTIF. ANNO I. ABSOL. III.

ANNO DOMINI 1587.

Iuxta est planities magna, quæ olim ad thermas Diocletianas pertinuit, tota, vt colligere est ex ruderibus & ædificijs rotundis vetustis, quæ in hortis Bellaianis adhuc integra cernuntur, sicut & horreum à Gregorio XXIII. ex ipsis thermis extructum fuit, nec non templũ S. *Mariæ de Angelis* pridẽ ante; nihilo tamen minus quæ ex prædictis thermis supersunt ruinæ, satis arguunt immensam thermarum illarũ molem pristinam. Nouæ quoque in Exquiliis Tabernæ longo ordine à Sixto V. extructæ conspiciuntur, artificibus Romanis destinatæ, vt vno in loco cõiunctim artem exerceant suam: sed quia res non successit, clausæ nunc omnes & desertæ relinquuntur. Reliqua fere pars Exquilini montis hortis Montalti Cardinalis à Sixto V. adorna

ornatis primum occuparut.

MONTES RELIQVI.

PRætet ſeptem principales colles ſiue montes vrbis Romę, ſunt & alii, qui illis tamen partim cedunt, vt *mons Teſtaceus*, de quo ante: nec non *mons Pincius* (in quo ædes SS. Trinitati dicata, extructa à Regibus Galliæ: Palatium præterea Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ, olim Cardinalis, magnificum planè, & hortus ad inuidiam pulcer, inibique infinita & viſu digniſſima Antiquitatis monumenta) & mons Iordanus, vbi Vrſinorum Palatia.

MONS IANICVLVS.

DEinde trans Tiberim *Mons Ianiculus*; qui hodie *Montorio*, quaſi mons aureus, dicitur: in eo templum S. *Petri in montorio*, & domus S. Spiritus: & deniquemons *Vaticanus*.

MONS VATICANVS.

IN hoc templum S. Petri celeberrimum & ſplendidiſſimum: cupula, admirandæ & ſtupendæ fabricæ inſignitum, & omnium ſumptuoſiſſimum

est,interius plures ordines habet columnarum,quæ magnæ , & planè scitæ.Sub altari magno medietàs Apostolorum D.D. *Petri & Pauli* . Parte ea ad quam gradibus ascenditur, columna est cancellis circumsepta ferreis,tali titulo: *Hæc est illa columna , in qua Dominus noster Iesus Christus apodiatus,dum populo prædicabat,& Deo patri in templo preces effundebat, adhærendo stabat,quæ vnà cum alijs vndecim hic circumstantibus de Salomonis templo in triumphum huius Basilicæ, hic locata fuit*; Dæmones expellit, & ab immundis Spiritibus vexatos, liberos reddit, & quotidie multa miracula facit, per Reuerendum patrem & Dominum Cardinalem Vrsinum ornata , Anno 1438. Asseruatur etiam in hoc templo caput S. *Andreæ Apostoli*; & cuspis qua Saluatoris nostri latus perforatum fuit in cruce,quæ ab Imperatore Turcico muneris loco ad Innocentium VIII. Pontificem missa dicitur. Pulcerrima sunt Sacella Gregorij XIII. & Sixti V. ornatæ varijs & elegantissimis picturis,quæ præcipuas historias , & res gestas Pontificum,Imp.&aduersus eos, exprimunt.

Valuæ

Valuæ siue portæ huius templi, æneæ ingenies & artificij insignis sunt, factæ tempore Eugenij IV. à Florentino artifice Antonio Rosello, in harum vna à dextris tres muscæ difficiles sunt inuentu, & documentum esse solent eorum qui Romæ se fu sse perhibent.

Est etiam *porta sancta*, quæ non nisi tempore Iubilæi aperitur, eoque finito rursus clauditur, muroque obducitur.

Basilicæ D.Petri contiguum est palatium Pontificis, magnificentia, splendore, & magnitudine etiam omnibus alijs antecellens. Conclauia, aulasque habet quamplurimas, holosericо, sericisque tapetibus, circumcirca vestitas, interque alia, *la sala consistoriale*, in qua & contingit Pontificem cum collegio Cardinalium coram intueri & conspicari.

Insignis vero est Bibliotheca Vaticana, merus thesaurus librorum manu scriptorum, vetustissimorum omnis generis auctorum. Codices etiam ibi in arborum corticibus, prout veteres vsurpabant, scripti. Comœdiæ *Terentij* ipsiusmet manu exaratæ. Originale assertionis septem Sacramen-

 torum

torum Henrici Regis Angliæ contra Lutherum, cui Rex propria manu subscripsit in hunc modum: *Anglorum Rex Henricus Leoni X mittit hoc opus & fidei testem & amicitiarum*. Sixtus V. Bibliothecam Vaticanam auxit, & ornauit, resque gestas Pontificatus sui pingi curauit, picturis singulis singula adijciens disticha.

La Galeria, est locus palatij ex insignibus fornicibus constans, in quo Gregorius XIII. commodo Pontificũ maximo sumptu artificiosissimè depingendas curauit omnes totius orbis Prouincias, regiones & Vrbes præcipuas. Prouincijs autem singulis sua adiecta sunt neruoso stylo encomia.

La guardarobba, locus est in suprema ferè contignatione, vbi thesaurus Pontificis ex Imp. & Regum principumque, & aliorum muneribus aureis, argenteis, crystallinis, lapidibus pretiosis &c. compositus. Ibi etiam *Rosa aurea*, quam Pontifex illis pro antidoro mittere consueuit, Vestiarium quoque Pontificis.

Supra palatium hortus amœnissimus, Inferius in plano hortus alius spatiosissi-

tiosissimus, siue viridarium Pontificis, quod *Beluedere* appellant. In eo nonnullæ bestiæ aluntur: sed propemodum cicures factæ inibi quoque omnis generis pretiosæ statuæ marmoreæ.

In area Basilicæ D. Petri pinus ænea ingens collocata videtur: quæ antiquitus posita fuit in fastigio molis Adriani siue *Castelli de S. Angelo*, inque ea cineres Adriani reconditæ asseruabantur. Ante Basilicam obeliscus Vaticanus, à Sixto V. erectus, cum antea in loco obscuro neglectui haberetur, olim obeliscus Cæsaris appeliatus: in pomo æneo quod in apice erat, cineres Iulij Cæsaris reconditi fuerunt. Relicto hoc oblisco si directò progrediaris, per viam antiquitus *triumphalem* dictam, præterita prius æde S. Mariæ Trans Pontanæ, vbi columnæ ad quas flagellati sunt Diui Petrus & Paulus, statim defereris ad molē Ælij Hadriani Imp. nunc *Castello di S. Angelo* vocitatum. Fuit sepulchrū prędicti Imperatoris, in quo ipse primus sepultus dicitur, & postea omnium Antoninorum cineres in eo cōditi; Hanc molē hodie Pontifices

Moles Hadriani

tifices pro arce & præsidio habent. Est enim ampla, rotunda, & penè inexpugnabilis, ductuque secreto (quamuis pars eius prope ipsam arcem sub dio conspiciatur) ex palatio Vaticano in eam commeare Pontifex potest. Quatuor in ea armaria sunt, siue conclauia armaturis & armis instructa. Sita est hæc moles ad ripam Tiberis, secundum pontem Ælium olim, hodie *di Castell S. Angelo* dictum.

PONTES ROMÆ.

CÆterum supra Tiberim Romæ pontes quondam fuerunt octo, de duobus extremis, ponte *Miluio*, hodie *Ponte mola*, qui extra portam populi, nec non *sublicio*, superius paucis attigimus. Hinc *Ælius* est. Infra hunc *pons Vaticanus* fuit, per quem ibatur in Vaticanum: dictus etiam triumphalis, cuius columnæ aliquot ex lapide cocto collapsæ videntur etiam hodie non procul à ponte Ælio. Dein sequitur *pons Ianiculensis* & Aurelius nuncupatus, hodie *ponte Sisto*, à Sixto IV. longus est pedes 215. Non procul hinc in medio Tiberi insula est, quæ coniungitur vrbi duobus pontibus. Ille qui

le qui ſpectat verſus Latium, olim dictus fuit *Pons Fabritius*, hodie *Ponto di quatre Capi*, à Columnis puſillis quæ iuxta eum ſunt, quarum, quæque quatuor Capita iuncta ſuſtinet, alter olim *Eſquilinus & Ceſtius*, hodie *Ponte di S Bartholomæo* dicitur, à templo huic dicato; antecuius altare magnum, puteus eſt limpidæ aquæ, ex quo eam quotidie hauriunt monachi Cœnobij adiacentis.

Ipſa vero inſula habet ſimilitudinem Nauis, dictaque fuit olim *Inſula Lycaonia*, cõſecrata Æſculapio, cuius imago eo fuit apportata ex Epidauro forma ſerpentis, Vnde etiam hodie in horto S. Bartholomæi conſpicitur nauis facta ex lapide, vt perhibent, Taſio, in cuius altera parte ſerpens inſculptus eſt. Inde ad teli iactum ſequitur *Pons Senatorius*, qui & *Palatinus* nominatus fuit, hodie *Ponte di S. Maria Egittiaca*, à vicina æde ſic denominata: hodie vero ſex tantummodo ſunt, vt ex prædictis patet. In cæteris autem dignissima quoque ſunt viſu & notatione quæ ſequuntur.

TVRRES

TVRRES.

CAstellum aquarum siue potius Cisterna Titi Imp. vulgo *le sette sale* mirabilis fabricæ. Domus & *Turris Neronis*, ex quo iussu suo incensam vrbem septem dierum spatio cum voluptate spectauit. *Turris militia*, arcus Neruæ Imper. hodie corruptè *arca Noe* vocitatus, eiusque palatii reliquiæ, quibus Ecclesia proxima S. Basilii superstructa est.

COLVMNÆ ROM.

COlumna ingens *Traiani Imp*, spectabili crassitie & cochlidis structura in foro Traiani (Sic olim iste locus indigitabatur, eratque iuxta eum Palatium huius Imperatoris) in ea circumcirca rerum ab ipso gestarum, inprimis Dacici belli simulacra mira arte cælata visuntur. Intus vero gradibus 185. in eius fastigium (vbi Traiani ossa, aurea pila condita olim fuerunt, nunc S. Petri statua inaurata ibidem à Sixto V. erecta stat) ascenditur: habet autem fenestellas 45. quæ lucem interius præbent. Ipsa columna altitudinis censetur pedum 128. vel vt aliis placet 140.

Columna

Columna Antonini Pij, quam ad il lius instar Antoninus ipse sibi erexit, cochlidis identidem structura, altitudinis pedum 176, cum interiore Cochlea, & gradibus 106. ac fenestellis 56. Incendio & vetustate nonnihil deforma tam, Sixtus V. reparari iussit, inque eius vertice S. Pauli statuam similiter inauratam statuit, circum quoque res ab Anton. gestæ incisæ spectantur. *Antoninii*

Basilica seu *Palatium Antonini*, quæ in vicinia sita fuit, cui Orphanotrophium quoddam ita nunc inædificatum est. nihil vt inde appareat, prçter columnas marmoreas ingẽtes numero vndecim.

Arcus Gallieni Imper. Triumphalis apud ædem S. Viti, ex Tiburtino lapide extructus. sed nullis insignibus ornamentis, ab eoque catena adhuc dependet, cui vsque in annos proximos clauis semper fuit appensa ciuitatis Tiburtinæ.

THERMÆ.

THermę Neronis iuxta templum D. Eustachij.

Ther-

Thermæ Antonini Caracallæ ad radices montis Auentini, iuxta templum S. Balbinę; earumque ingentes ruinæ cum altis parietibus columnisque semisepultis, miræ & magnitudinis & elegantiæ. eius testudines omnes ex pumice fere fuerunt factæ: & verisimile est palatium ipsius Caracallæ iuxta fuisse.

TEMPLA.

PAntheion, templum olim à M. Agrippa omnibus Diis dicatum, inter vetusta templa nobilissimum est, forma rotunda solidique marmoris, vnde lumen tantum per rotundũ, quod in vertice eius, siue foramen, siue impluuium intrat. Ante ingressum porticus est insignibus fulta columnis. Vulgo *alla rotunda* vocatur S. Mariæ, omnibusque sanctis est consecratum, & adhuc habet hunc titulum.

M. AGRIPPA L. F. TERTIVM CONSVL FECIT.

Ædes circulari forma, quæ olim Iano, hodie S. *Stephano* sacra est, in qua omnium Sanctorum martyria elegantissime

tissime depicta. Taberna meritoria veterum Romanorum (vbi emeriti milites & ob vulnera aliaque belli accepta detrimenta, bello inutiles ex publico dum vita manebat, sustentabantur) fuit olim, vbi nunc exædificatum est templum S. Mariæ TransTiberinæ: sub cuius altari maiore monstratur fons, ex quo tempore natiuitatis Christi, Oleum effluxit continuo 24. horarum spatio. In templi quadam tabula, quo in loco ipsam tabernam fuisse credibile est, hoc Carmen legitur:

Roma vetus veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus in muris, nec malus vllus erat.
Defunctis Patribus successit praua iuuentus,
Quorum consilio præcipitata ruis.

SEPTEM VRBIS ROMÆ *Ecclesiæ.*

ÆDes *di Sanct. Croce in Hierusalem* adipsa mœnia vrbis intra portam maiorem & portam Sancti Ioannis: in qua sacellũ subterraneum bellissimum Sanctæ Helenæ matri Imp. Constãtini dicatum

dicarum, quæ illud ex terra sancta primum extruxit, inque ipsum mulieres sub excommunicationis pœna ingredi prohibentur; tantum die Sanctæ Helenæ ipsis aditus patet, Secundum hoc templum in adiacente monasterio videtur adhuc ex parte integrum *Statilij Tauri* vetus *Amphitheatrum* lateritium: & ab altera parte, ruinæ lateritiæ templi Veneris.

Templum *di S. Maria Maggiore*, vbi præsepe, in quo Christus infans cubuit, eiusque fasciæ, & brachia S S. Matthæi & Lucæ. Sacellum habet magnificentissimum à Papa Sixto V. extructum, & mero marmore obductum, in quo monumentum Pio V. Pontif. Max. fieri curauit, gratitudinis ergo, quod ab illo in Cardinalium Collegium adscitus fuerat. E regione sibi ipsi quoque monumentum fieri curauit, ibique post sepultus est. Ante hoc quoque templum Obeliscus egregius, sed tamen ex quatuor illis qui Romæ sunt minimus: ab altera parte huius templi, è regione ædis S. Antonij nuperrime columna marmorea, parua quidē, sed elegans erecta est, in memoriam absolutionis quam à Clemente VIII.

haud

haud ita pridem obtinuit Henricus IV. Gallarum & Nauarræ Rex, anno Christi 1593.

OBELISCVS.

Pulcherrimus est Obeliscus ante *Templum Lateranense* totus literis hieroglyphicis inscriptus, & hunc quoque Sixtus V. erexit, & sanctæ Cruci dicauit, Templum ipsum S. Ioannis in Laterano præcipuum & primum est inter septem principalia, nedum inter alia vrbis Romæ templa Apud hoc *Baptisterium Constantini Imp.* Locus vbi ille sacro lauamine ablutus fuit, vnde similiter alij ad fidem Christianam conuersi inibi baptizantur. *Sancta sanctorum*, Capella in quam mulieribus pedem figere non licet. *Scala sancta*, cum gradibus marmoreis 18 quos flexis genibus ascendere & descẽdere, & singulis gradibus *Aue Maria & Pater noster* ter pronunciare debent ij, qui indulgẽtias ibi consequi cupiunt. Dicunt hanc scalam fuisse in Palatio Pilati, in qua Christus virgis cæsus fertur, ibiq; sanguinem effudisse, cuius guttæ in medio fere

fere scalæ cernuntur. Sunt & alia permulta ibi Hierosolymis allata, lapis super quem Iudæi iecerunt sortem, tũ, qui super quatuor columnas positus in altitudinem, repræsentat lõgitudinem staturæ Christi, ibidem.

Quartus obeliscus itidem à Sixto V. erectus iuxta portam populi, sic à vicina æde S. *Maria di popolo*, denominatam. *Theatrum Marcelli* inter Capitolium & Tiberim, cuius vestigia ab vna parte adhuc videri possunt: palatia vero Sabellorum superstructa cæteram partem absumpserũt, & capiebat olim dum integrum erat. 8000. homines. *Theatrum Pompeij* olim fuit, vbi nunc palatia Vrsinorum *in campo del fiore*.

FARNESII PALATIVM.

IN Palatio Cardinalis Farnesii quam plurimæ sunt statuę pulcræ. Inprimis *Herculis* è marmore, cuius Basis superiori parti hæc inscripta sunt:

γλυκων Αθηναῖος ἐποίει.

In posteriore area conseruantur simulacra egregia, vnico saxo ab Apollonio & Taurisco præstantissimis artificibus olim insculpta, quæ fabulam Zethi, Amphionis & Dirces scitissime re-

repræſentant, eruta tempore Pauli III. Pontif. Max. ex ruderibus thermarum Antoninianarum: quamuis poſita ſint in loco occluſo, tamen à ſtatuario Card. facile ad introſpiciendam aditus impetratur.

Palatium Cardinalis Montalti, in quo & ſtatuæ nonnullæ antiquæ, ſed minus nobiles. In ſtabulo equus nobis monſtratus fuit, ἀνδρόγυνος ſeu ἑρμαφρόδιτης.

Card. Montalti.

Mauſoleum Auguſti ad ripam Tiberis è regione molis Adriani, prope templum S. *Rochi* aliqua ex parte integrum adhuc conſpicitur, in horto Palatio cuiuſdam nobilis Romani contiguo, quod magna cum admiratione contemplati ſumus, ex eo quod adhuc ſupereſt, inſaniam antiquæ illius ſubſtructionis facilè intelligentes. Extra vrbem hæc præcipuè vidimus:

EXTRA VRBEM.

Extra Portam piam ſecundo ab vrbe lapide iuxta ædem S. Agnetis templum Bacchi ſphærica figura, cum co-

lumnis, 24. inque eo sepulchrum eius Porphyreticum, vitibus ac vuis pampinisque, & pusillis Bacchulis circumquaque extrinsecus insculptum. Volunt tamen nonnulli id non Bacchi sed Beatæ Constantiæ magni Constantini Imp. filiæ sepulchrum esse.

IIII. *Templum.* Extra portam S. *Laurentij* (olim *Capenam* dictam) ad secundum lapidem ædificium adhuc integrum, Tiburtino lapide, sphærica extructum figura, sine apice, cognomento hodie Caput bouis, *Capo di boue*. (quod circumcirca capita bubula insculpta habeantur,) fuit sepulchrum Metellæ vxoris Crassi, vt docet inscriptio, quæ est: Cæciliæ Metellę Q. Crassi Cretici filiæ: & verisimile est Crassum ibi villã habuisse muris circumdatam, qui adhuc integri ambitum eius ostendunt, interque spacia intermedia multa iacent rudera.

V. *Templum* Non procul hinc versus ædem S. *Sebastiani*, in conualle quadam circus est, siue Hippodromus Imp. Antonini Caracallæ, satis spatiosus, vbi in medio adhuc iacet *Obeliscus* miræ magnitudinis cum notis Ægyptiacis, sed in plures comminutus partes.

Ex

VI.

Extra *portam D. Pauli* ad primum lapidem *ædes S. Pauli*, omnium quæ Romæ sunt maximum, binoque eximiarũ columnarum ordine condecoratum, inque eius pauimento mensura siue magnitudo reliquorum sex Templorum principalium, primoribus eorum literis designata reperitur. Duobus ab hoc Templo miliaribus frequentatur locus ille, *alle tre fontane* vulgo dictus, vbi decollatus perhibetur S. Paulus, & caput eius abscissum ter exilijsse, & ad quemlibet saltum fontem erupisse, qui fontes etiamnum scaturiunt.

In sacello quod paruo hinc distitum est interuallo, & *Scala cœli* nuncupatur visuntur ossa Martyrum, 10203. qui cum B. Zenone Sub Nerone perempti sunt. Sub isto altari fertur S. Bernardus cum aliquando M ssam celebraret, oculis suis vidisse Angelos per scalam ascendentes, & ex purgatorio prodijsse multas animas illa Missa liberatas. Pictura super portam in frontispicio rem totam ob oculos ponit.

ROMÆ in Curia hæ visæ sunt litteræ P. P. P. R. R. R. S. S. S. F. F. F

Ven. Beda tunc temporis doctissimus, consulebatur, vt hæ soluerentur ab illo, qui sic explicauit:

Pater Patriæ Perfectus
Regnum ROMÆ Ruit
Secum Sublata Sapientia
Ferro Flamma. Fame.

Per portam Cælimontanam, vulgo *D. Ioannis in Laterano*, via Campaña, ad sinistram aquæductus Claudij occurrunt, iuxtaque nouæ aquæ Felices, de quibus supra,

Inde directo ad accliuem collem villam Ciceronis *Tusculanum* dictam, hodie *la frascata*. A Tusculo Marinum siue Marianum (quo in loco olim villa Matiana fuisse perhibetur) oppidulum in ipso colle situm. Id spectat ad familiam Illustrem Columnarum, & Roma distat miliaribus 12. Hinc vlterius confectis octo miliaribus

liaribus vetustam ciuitatem Velitras ingressi pernoctabimus. Altera die Velitris relictis per syluam Velit i-nam latrocinijs nobilem(quæ tamen iam tunc cœpta erat extirpari, arbustis arboribusque ad radices recisis) & deinde per campum amœnum Sermonetam appellitur (oppidum in alto colle situm) viso prius ad dextram versus mare promontorio *di S. felice*, alias *monte Circello* siue Circæo, à Circe solis filia denominato. Ipsam vrbem *Sermonetam* viatores hoc in itinere non ingrediuntur, & non longè progressi transeunt angustias quasdam, iuxta quas turris munita, in illis vectigal ob custodias latronum causa constitutas exigitur. Ad hanc Sermonetæ turrim finitur palus Pontina, quæ ab vrbe Tarracina extenditur huc usque. Prius tamen quam ad has angustias acceditur, conspiciuntur ad sinistram reliquiæ quædam ædificiorum pervetustorum cum nonnullis tabernis, quas autumant fuisse *Trestabernas* de quibus mentio fit in Actis Apostol. capit. vltim. versic. 15.

A prædicta turri Castellum *Sezza*

siue *Setia* distat miliar.5. & inde totidem miliar.supersunt vsque ad PIPERNO siue *Priuernum*,oppidum in monte alto situm, vbi rursus transacta potiore parte dei itineris pausam facere licet,

TARRACINA.

PEr viam APPIAM (quæ olim Roma Brudusium vsque pertingebat) TARRACINAM vsque progredere, Quo in itinere,sicuti per omnem agrum Tarracinensem, multæ moles sepulcrorum antiquorum visuntur. Plerique hoc oppidum *Anxur* esse existimant. Hinc soluentes decem & trium mill. itinere intra limites regni Neapolitani consistes: vbi marmori insculpta leguntur sequentia: HOSPES, HIC LIMITES REGNI NEAPOLITANI: SI AMICVS ADVENIS PARATA OMNIA INVENIES, ET CVM BONIS LEGIBVS BONOS MORES. Hinc ad angustias, quæ *la portella* dicuntur, quasi mille passus sunt;vbi diligentissime inquiritur

tur in eos,qui contra ſanctionem reg-nitaut in fraudem vectigal aliquid ex-portare conantur. Ab hoc loco 6. mil. Fundos attinges. Iterum progrediendo confectis 5. miliaribus redditur ad viam Appiam. Per hanc vtrinque viridanti myrto & laurosepiā paulatim aſcenditur in colles fructiferos feraceſque vini & olei, vbi *Caſtellum d' Itro*, Haud multo poſt ad molem, quam *Formias* antiquitus fuiſſe putant, ſole meridianum tangente peruenitur.

Inde refectis viribus, littus maris ſtringendo, ad dextram conſpicies celeberrimam vrbem *Caietam*: & propè flumen Lirim (hodie *Gariglianum*) Amphitheatrum vetuſtum, & iuxta Caſtellum Traiectum, veſtigia oppidi Minturnarum videbis; & traiecto Liri deinde prætcribis Montem Draconis, & tandem Sinueſſam (hodie *Seſſa* dicitur) peruenies. Ibi in vico maximo multæ antiquæ Vrnæ, & monumenta marmorea.

Quinta denique die Capuæ prandebis: Ea vrbs ad dextram Volturni fl. ripam sita est.

Inde per ipsa suburbia vrbis *Auersa* maturè *Neapolim* venies.

DE

DE TIBERIS AVCTV

ANNO CHRISTI.

M. CCC. LXXX. 9. Nouemb. ad tres cubitus, Signum apparet ad S. Mariam ſupra Mineruam.

1422. die feſto S. Andreæ, ſub Martino V. Pontif. creuit altius cubito ſeſquialtero.

1476. Sixto IV. ſedente, alueo exceſſit die 8. Ianuarij.

1495. Menſe Decembri, Alexandro VI. PP. anno III. altitudine XIII. pedum iterum Leone X. Pont. Max. excreuit.

1530. CLEMENTE Pontif. Max. Anno VII. VIII. Idus Octob altitud. XXIIII. pedum à terra creuit. Signum ad S. Eu ſtachium oſtenditur, & in pariete iuxta templum B. Mariæ populi, ad portam Flaminiam, è

I 5 regione

regione obelisci. Rursum in castro S. Angeli, signum posuit Guido Medices arcis præfectus. Anno 1542. vt carmine Marius Molsa eleganti testatur,

Auctus aquis rapidoque trahens cum gurgite ciues,

Terrebat canis Albula verticibus, &c.

1598. IX. Kalendas Ianuarij CLEMENS VIII. Anno VII. Pontificatus, Tiberis extra alueum elatus, tantam vrbi stragem dedit, vt nullam post hominum memoriam maiorem: Pontifice iam triduo Ferraria, quam receperat, sedique reddidit Apostolicæ, reduce & saluo. Adeo verè sapiens, *extremum gaudij luctus occupare*. At qua est pietate Bea-

tiss.

tiſſ. Pater, pro anno ſeculari ſacro Iubilei milleſimi & ſexcenteſimi inſtaurauit omnia, domoſque eluuione euerſas exædificandas curauit.

DE TVENDA ROMÆ VALETVDINE.

SCripsit erudite Alexander Petronius medicus Romanus, & ni fallor, Hieronymus Mercurialis quædam in varijs lectionibus, & Marsilius Cognatus Veronensis, Romanus medicus, libello, *de ordine in cibis seruando*, ad. I II. variarum lectionum libros, alij Romæ exstabunt.

Cœlum Romanum graue, intemperans, quare diluculo, & increpusculo ne prodeas, nisi sole splendente.

In æde sacra S. MARIAE supra Mineruam, hæc leguntur ad vitandam ROMAE inualetudinem:

Enecat insolitos residentes pessimus aer
Romanus: solitos non bene gratus habet.

Hic:

Hic tu quo viuas, lux ſeptima det medicinam, (*uior.*
Abſit odor fœdus, ſitque labor le-
Pelle famem, frigus, fructusq; femurque relinque;
Nec placeat gelido fonte leuare ſitim.

VINA ITALICA QVAE ROMAE BIBVNTVR

R*Omani, & tota curia vina bibunt optima, & non contemnenda. Sunt autem hæc:*

Vin Græco di ſomma opt. albi coloris in Veſuuio Campaniæ oppido naſcens.
Chirallo album Neapolitanum acre.
Latino della torre, album Neapolitanum modiocre.
Aſparino Neapolitanum, album, ſtipticum.
Mazzacan Album Neapolitanum tenue.

Graeco de Ischia Campan. ex Inarime Insula optimum.
Sanseuerino album & nigrum; bona vtraque.
Salerno nigrum optimum.

Corso de Elba album Corso de Branda album Corsa de Loda album	grauia

Da Riuiera ex Liguria albū & nigrū

Gilesi album & nigrum Ponte Reoli album ex agro Genuensi Muscatello de Sarma co loris medij, Vindelia Taia, album Genuense.	tenuia salubria.

Lacryma nigrum optimum.
Romanesco album tenue, varij saporis.

Albanum album & nigrum De S. Paulo album. De Franza nigrum. Salinum album & nigrum. Tiburtinū & Veliternū cocta Signum de Segna.	mediocria.

Maria

Maria guerra nigrum optimum.
Castel S. Gangolpho album optimum.
Della Riccum album optimum tenue.
Ruspada est secunda expressio ex vuis.
Maluasia ex Creta.
Muscatellum & vinum de Taglia optima & præcellentia.

Cæterum de diuersorum Vini generum natura, Italici Medici quoque scripsere.

Iacobus Præfectus, Netinus. Venet. 1559.

Ioan. Bapt. Confalonerius Veronensis. Basil. 1535.

Andreas Baccius Romæ 1597.

Sed vt à laudatione vrbis ROMÆ incepi, sic desinam.

VRBIS ROMÆ ENcomion Fausti Sabæi Brixiani.

Martia progenies, quæ montibus excitat vrbem
Ciuibus & ditat, côiugibusq́; beat:
Tuta-

Tutaturque armis, Patribus dat iura
vocatis:
Iam repetit cælum post data iura
Ioui.
De nihilo imperium, vt strueres te
hac Romule caussa,
Gignit, alit, seruat, Mars, Lupa,
Tibris aqua.

IVLII CAESARIS SCALIGERI.

Vos, septem gemini, cœlestia
pignora, montes,
Vosque triumphali mœnia structa
manu,
Testor, adeste, audite sacri commer-
cia cautes,
Et Latios animos in mea vota
date,
Vobis, dicturus meritis illustribus
vrbes,
Has ego primitias, primaq; sacra
fero.

Quin

Qui te vnam laudant, omnes comprenderit : orbem,
Non vrbem, qui te nouerit, ille canet.

P. VIRGILII MARONIS CENTO.

IPse lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus Assarici quem sanguinis Ilia mater
Eduxit, genti Mauortia cōdidit olim
Mœnia, Romanosque suo de nomine dixit.
Illius auspicijs rerum pulcherrima ROMA.
Imperium terris, animos æquauit Olympo:
Septemque vna sibi muro circumdedit arces:
Fœlix prole virûm : qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,

Læta

Læta Deûm partu, centum complexa nepotes
Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes.
Hanc olim Indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant:
Gensque virûm truncis, & duro robore nata:
Quæ duo disiectis tenuerût oppida mûris.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

OVIDII NASONIS.

CRescendo formam mutauit Martia ROMA:
Apenninigenæ, quæ proxima Tibridis vndis
Môte sub ingenti posuit fundamina rerum:
Quanta nec est nec erit, nec visa prioribus annis.
Hanc alij proceres per sæcula longa potentem,

Sed

Sed Dominam rerum de sanguine natus Iuli
Effecit: quo, quum tellus fuit vsa, fruuntur
Aetherea sedes: cœlumq́; fit exitus illi.

EIVSDEM.

Hic vbi nunc ROMA est, olim fuit ardua sylua:
Tantaq́; res paucis, pascua bob. erat.

EIVSDEM.

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spaciũ est vrbis & orbis idem

AVRELII PROPERTII.

Hoc quodcunque, vides hospes, qua maxima ROMA est,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atque vbi nauali stant sacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.
Fictilibus creuere Diis hæc aurea tẽpla:
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.

Tarpe-

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat:
Et *Tiberis nostris aduena bobus erat*
Quo gradibus domus ista Rhemi se sustulit, olim
Vnus erat, fratrum maxima regna, focus.
Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo:
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oues.
Hinc Tatius, Ramnesque viri, Luceresque coloni,
Quatuor hinc albos Romulus egit equos:
Quippe suburbana parua minus vrbe Bouillæ
Et, qui nunc nulli, maxima turba, Gabij:
Et stetit alba potens, albæ suis omine nata,

Hæc

Hac vbi Fidenas, lōge erat ire vias.
Nil patrium, nisi nomen habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem, nunc pudet esse Lupam.
Huc melius profugos misisti Troia Penates:
O quali vecta est Dardana puppis (aue.
Arma resurgentis portant Victricia Troiæ,
Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo.

M. VALERIVS MARTIALIS.

Terrarum Dea, gentiumq; Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Omitto reliqua Ausonij, Claudiani, Rutilij, Numantiani Elogia: tum recentiorũ Iulij Cæsaris Scaligeri, Fausti Sabæi, Brixiani, aliorumque encomia. Vnum

Vnum tacere ob elegantiam M. ANTONII FLAMINII sine flagitio non possum:

Antiquum reuocat decus
Diuûm Roma domus, & caput vrbium:
Vertex nobilis ImperI:
Mater magnanimûm ROMA *Quiritium,*
Fortunata per oppida
Cornu fundit opus Copia diuite.
Virtuti suus est honos,
Et Musis decus, & prisca redit fides.

ITINERARII LIBER III.

NEAPOLITANAR. RERVM.

INDEX CAPITVM.

VRBS


Monte di Soma
Napoli
Castello dell' Ouo

VRBS NEAPOLITANA.

CAPVT I.

Ex Hieronymo Turlero. Additis Iconibus Puteolanis & Cumanis.

TRansgresso monte Pausilypo, (de quo infra erit dicendum) NEAPOLIS conspicitur, Regia vrbs, & illius regni Metropolis. Hæc primum *Parthenope* dicta est, cum à Cumanis extrueretur, vt & mox dicam: vnde Silius:

Sirenum dedit vna tuum memorabile nomen ,
Parthenope, muris Acheloias, æquore cuius
Regnauere diu cantus, cum dulce per vndas

Exitium miseris caneret nõ prosper nautis.

Horti.

SVnt ab ipſo monte ad vrbem vſque media ſuburbana nobilium, quorum horti elegantiſſimi. Primum enim aquæ copia abundant, eo ſtudio aut induſtria ad profluendum fabricatæ, vt etiam ex arboribus aliquando profil at in vaſa marmorea. In quibus nunc Neptunus nauigat aquam tridente velut vndas maris percutiens, nūc Najades aut Æolus cernuntur. Adſunt & Fauni & Satyri ex conchis marinis facti, ea arte vt ſculpti pictive putentur magis quam compoſiti è teſſerulis, ita omnia in ijs natiuum colorem referunt. Nec deſunt Labyrinthi, in quibus aqua per varios anfractus decurrit, modo hac, modo illac. Fontes autem in illis ad formam ſpecus conſtructi ſunt è lapidibus à ſalſugine aquę marinę exeſis, vt aqua per eos paulatim ſtillet, quod admodum iucundum aſpectu eſt. Habent enim ipſi lapides colorem niuis aut glaciei,

tum

tum etiam ornantur aliis rebus vermiculatis, gorgonia, margaritiferis, ac herbis, quarum semina humore nutrita, inter medios lapides pullulant. Decurrit quoque aqua è fontibus in hortos per canales pauimenti, quod marmoreum plerumque est; vel ex testaulis constructum, sed nihil lædit pauimentum, Sunt & ipsi canales ampli ac patuli, vt tam piscibus conseruandis, quam refrigerando potui inseruiant. Iuxta fontes auiaria sunt, in quæ ex canalibus artificiose prosilit aqua, quam commodissime excipiunt auiculæ. Continent autem pulcherrimas aues peregrinas ac sonoras. Inde deambulatoria, & in his topiaria, naues, ædificia, Centauros aut alia genera animaliũ repræsentantia. Extra hæc variæ herbæ, aliquando in modum Labyrinthi positæ, Laurera, Cupressera, Vineæ: Non raro Labyrinthi è buxo, hedera ac Myrto, præterea Palmæ quarum fructus sunt dactyli, ac aliæ arbores raræ. Denique (vt nihil dicam de statuis & monumentis) ea adest copia selectissimorum fructuum, is odor, ea voluptas, vt ne in Hesperidum quidem hortis, Vlla maior aut gratior esse potuerit.

Igitur ab eo templo monachorum ad montem Pausilypum, prædia nobilium & horti ad urbem vsque protenduntur. Ea sita est ad sinum maris Tirrheni, forma triquetra, duobus angulis mare respicientibus, tertio montes, qui non magno interuallo ab ea distant. Insistit autem solo vel basi inæquali, quasi b fida, ædificijs paulatim assurgentibus. Inferiorem partē illius mercatores ferè ac plebei, superiorēnobiles incolunt. Itaque in ea palatia pulcherrima reperiuntur, inter quæ præcipua sunt Principis Salernitani, Vrsini, Principis Sulmonis, & Thomæ Cambij, multis statuis ornatum, habens *Leænam* supra portam cum inscriptione IOVI XENIO.

Fontes & platea.

ILlud deinde inter præcipuas dotes eius vrbis connumerandum arbitror, quod singulæ propemodum domus fontes habeant copiosa ac saluberrima aqua scaturientes, nec est vlla alia vrbs in vniuersa Italia (quod ad aquarum copiam attinet) quæ cum hac conferri possit. Plateas vero angustas habet, exceptis tribus, quæ vt satis latæ, ita mi-

ræ

ræ longitudinis sunt. Superior ex his *la Vicaria* dicitur, altera Capuana, tertia est è regione arcis & ad forum vsque patet. Capuana Capuam ducit, quæ vrbs in Iure ciuili valde celebris est, maximè in materia contractuum. Nam & primum Prætorem peregrinum habuit, & olim floruit mercatura. Vnde solutiones in eam ferè concipi solebant, aut Romam, aut Bithyniam, Asiæ vrbem. In porta huius plateæ monumenta plurima conspiciuntur, tum cō structa cum per eam Carolus Quintus Romanus Imperator, & Neapoli Rex, primus omnium mortalium ingrederetur: id quod in simili porta ad S. Georgij deinceps Antverpienses imitati sunt. Ante portam Oceanus erat & Thetis, deinde per plateam ipsam commodis in locis Hercules, Atlas, Perpetuitas, Religio, & alia multa, quæ in triumpho Neapolitano commemorantur.

Forum & templa.

FOrum vrbis præcipuum forma quadrata est, spaciosum admodum, non tamen stratum lapidibus: in medio illius furca & proscenium ijs extru-

ctum qui vltimo supplicio afficiendi sunt: præterea sacellum, è cuius regione fons labrum capacissimum habens. Ad forum multa diversoria sed vulgaria: & est Neapoli magna penuria mundorum hospitiorum, licet popinæ infinitæ adsint.

TEMPLA.

Templa habet non multa sed pulcherrima, è quibus elegans est Cathedrale, vt vocant, S. Claræ; nescio an etiam illud quod duo Lucio dicatum, cum tenebrosum admodum sit. Ornatissimum est S. Mariæ Prædicatorum, nam & in amœnissimo prælatoque vrbis loco situm, & intus totum fere marmoreum incrustatumque, angustum tamen. Frequentatur religione templum S. Mariæ di Carbona, monasterium non procul à foro: vnde ingentem copiam tabularum votiuarum, & duo sacella marmorea iuxta aram primariam continet. In ipsa autem ara tumba est, in qua corpus Roberti Regis Neapolitani & coniugis illius quiescit, admodum pomposa, vt fama sit nullam magnificentiorem reperiri

periri in vniuersa Europa. Ego vero, si non præstantior est, parem certe huic esse puto illam quæ Guilielmi Croii eiusque coniugis corpus habet in Belgico, prope Louanium ad arcem Hefsriam; præterea sepulchrum Mauritij Electoris Saxoniæ Friburgi in Hermoduris, & illud in quo coniunx ipsius quiescit Vinariæ in Turingia, illud denique quod in memoriam Palatini Electoris Heidelbergæ extructum est. Sane hæc quatuor sepulcra præcipua sunt ex his, quæ vel in Italia vidi, vel in Gallijs, aut Germania, vel etiam in Anglia, nam in Hispaniis non fui. Sed inter illa, quæ in his regionibus ex ære vel aurichalco conflata cernuntur, meo iudicio cæteris omnibus præstat Henrici VII, Anglorum Regis, apud Vvestmonasterium, vt vocant, in vrbe Londinarum, cum hac inscriptione:

Sepulcra insignia. 1 2 3 4 5

Septimus hic situs est Henricus, *gloria Regum*
Cunctorum, ipsius qui tempestate fuerunt;
Ingenio atque opibus, gestarum & nomine rerum:
Accessere quib. natura dona benigna,

Frontis honor, facies augusta, Heroica forma,
Iunctaque ei suavis coniunx, perpulchra, pudica,
Et fœcunda fuit, felices prole parentes,
Henricum quibus Octauum terra Anglia debes.

Tota tumba deaurata, vulgatioribus gemmis vndique coruscat, habet etiam multa τορεύματα, & ad eam proximè accedunt monumenta Regum Galliæ, apud fanum S. Dionysij.

Στοαὶ, *Arces tres & armamentarium.*

SVnt prætereaNeapoli quatuor ςοαὶ, vt Græci nominarunt, quadratæ formæ, circumcirca sedilia habentia, qualis ille locus est Antuerpiæ, quem *Bursam* vocant, & Venetijs *la piazza del rivo alto* In his igitur ςοαῖς, certis anni temporibus publici conuentus habentur. Conueniunt quoque in ijs mercatores singulis diebus contractuum celebrandorum causa.

Arces

Arces tres numero habet, quarum duæ ad mare sitæ sunt, vetus scilicet ac noua, tertia in altissimo monte vrbi incumbente locatur. Vnde adeo munita est, vt qui eam tenet, vrbi facillime imperare possit, quantumuis ab hostibus occupatæ. Est paulo infra illam monasterium Carthusianorum, templum habens Diuo Martino sacrum, è quo amœnissimus prospectus est, cum in vrbem, tum in ipsum mare. In arce autem veteri ad viam Capuanam sita, antiquissima ædificia ac picturæ cernuntur, & est in ea armamentarium, in quo inter cætera asseruatur πανοπλία Francisci Galliarum Regis, qua indutus ad Ticinum vrbem capiebatur, elegantissima, & ex optimo ferro fabrefacta, sine vllo tamen ornatu auri. Ex arce deinde transitus est in amplissimos hortos: in ipsa vero arce hortus pensilis, sed is præter amœnum prospectum nihil habet. Arx noua ad ingressum vrbis sita est, extructa ex lapide Tiburtino, forma quadrata. In eo olim fuit monasterium Prædicatorum, quod nunc in alium vsum translatum est. Ambit autem hanc arcem, ex ea parte qua vrbem respicit, admo-

dum profunda fossa, quasi duplex. Nam priorem fossam ingressus, tandem arcem ipsam vides, quæ similiter fossa ac mœnibus turribusque munita est, & cliuo insistit. Portam interiorem pulcherrimam habet ex marmore, in aream spaciosam quadratam oblongam. Ad sinistram ingressus, aulula quadrata est, in qua Regni illius conuentus quotannis celebrantur; & qui ei regno præest, solet in ea singulis septimanis iudicium exercere: Denique iuxta hanc aululam in turri quadam præampla, asseruantur regia ornamenta hæc: Sceptrum aureum in superiore parte margaritis maximis ornatum. Ensis habens capulum & vaginam auream, gemmis ornatissimam. Corona vel diadema regium, gemmis incredibilis magnitudinis rutilans, Crux aurea quantitatis vnius palmæ. Ingens poculum aureum vndique gemmis ornatum magni precij. Vniones maximi, & præcipua genera preciosorum lapidum: Breuiter thesaurus qui vix æstimationem recipit.

Antiquitates, Academia, & proprietates Neapolitanæ.

MIrum vero quanta copia antiquissimarum statuarum conspiciatur in vrbe Neapolitana, etiam in priuatis ædibus, puta *Bacchi, Mercurii, Herculis, Bruti*, & totius veteris militiæ habitus. Adsunt & statuæ togatæ, & maximum equi caput æneum, magna arte conflatum, cui simile videtur Romæ in palatio Cardinalis de Valle. Sed de his omnibus diligentissime scripsit Cyriacus quidam Anconitanus, huius enim est maior pars illius operis, quod Apianus & Amantius in hac materia Antiquitatum ediderunt: etsi cōficta pleraque continere Ant. Augustinus docet Dialogo vltimo Antiquit. Hispan.

Fundauit in hac vrbe Academiam Fridericus II. Rom. Imp. quæ hodie adhuc floret. Nobis isthic commorantibus moriebatur in ea *Simon Portius*, insignis Philosophus ac Medicus. Nam & præter eum libellum, quem *de incendio agri Puteolani* edidit, vt alibi admonui, scripsit *de anima, de sensibus, de coloribus*

Simon Portius.

loribus, de puella Germanica, & multa alia. Clarebat inter istos Marcellus quidam Senensis, vir inprimis doctus & facundus. (*An Marc. Palingenius qui heroice carmine lusit de Natura post Lucretium.*) Theologia vero & in monasteriis docetur, & in Academiis, vt in tota Italia ferè. Neapolis hyemem vix duobus mensibus sentit, puta mense Ianuario & Februario. Frequentes habet pluuias, sine niue tamen, atque inæstate cruentissimum æstum, vnde rara ibi sunt ædium tecta, vt noctu super ædificiis obambulare liceat corporis refrigerandi causa. Vocant eam vrbem vulgari lingua *Gentilem*, hoc est, nobilem; vt Romam *amplam*, *Venetiam diuitem*, Florentiam *pulcram*, ad imitationem, ni fallor, Græcorum, qui ipsi quoque præcipuas vrbes epitheto aliquo decenti ornare solebant. Nam Athenæus cōferens aliquot, ait, Alexandria est *aurea*, Antiochia χαλλὴς, Nicomedia περικαλλὴς, Atheniensium ciuitas λαμπροτάτη, ἡ ῥώμη πολις, ἐςὶν ἐπιτομὴ τ̃ οἰκουμένης. Credo autem Neapolim vocari *nobilem*, propter multitudi-

Italicæ vrbes.

Roma orbis compendium.

tudinem nobilium qui in ea habitant, & prôpter luxum. Nec alibi vllo in loco Italiæ reperire licet tantam copiam generosissimorum equorum, quantam ibi. Sed vt equum indigenum inde extra Regnum illud ducas, decumam soluas oportet. Venduntur autem in ea non tantũ equi & omnia genera mercium, verum etiam mancipia vtriusque sexus & ætatis. Sicarios multos habet, & malè audiunt apud quosdam Neapolitani, non tam quod ipsi mali sint natura, sed quod multos malos alante, & vicinos habeant malos. Id vero sunt *Apuli, Calabri & Siculi*, de quibus posterioribus verè dici potest id, quod de iis scriptum; *Omnes insulani mali, Siculi omnium pessimi.*

Marioli di Napoli.

Cæterum quod ad proprietates Neapolitanorum attinet, delectantur illi non tam Græcis aut Latinis literis quam Hetruscis, & dialecto sua irridēt Calabros, Calabri Appulos. Vtuntur autem oratione plena fastus & iactantiæ, vnde aliorum consilia respuunt, & sua cæteris omnibus præferunt. Satis est eorum mercatoribus dedisse fidem, sed si datam fallas, strenui vltores sunt iniuriæ illatæ, quemadmodũ acce-

Mores Neapolitani.

acceptorum beneficiorum maximè memores. Splendidiſſimè victitant, & aliquando plus ſaccari quàm panis inſumunt, Siculos imitantes. In veſtitu ſuperbi ſunt, & nimios ſumtus faciunt belli ac pacis temporibus. Optimè adoriuntur hoſtem, & equos habent ad bellum aptiſſimos, quibus optimè inſident, & quos ſumma corporis dexteritate regunt. Perditiſſimè amant, ſed eas tantum, quæ & facie picta & animo elato ſunt; quibus duabus rebus illorum mulieres apprimè ſtudent. Alioquin rem familiarem diligenter curant, & amatores ſuos religioſiſſimè colunt. Denique humani ſunt Neapolitani erga peregrinos, & amant eos ſi quid in iis vident eximium aut excellens; ſi nihil tale vident, parui eos faciunt. Atque hæc quidem de ipſa vrbe.

CAPVT II.

Putei regales, & mons Veſuuius, cum aliis.

Extra vrbem ex ea parte quæ Pauſilypo aduerſa eſt, cernuntur *Putei regales*, vulgo dicti *pozzi reali*, pulcherrimi

rimi ſane & digni qui videantur. Eſt nifi fallor, eius generis locus Romæ & Ferrariæ *Il, bel veder*, hoc eſt, vt ego interpretor, locus ædificiorum, hortorum, ac riuulorum, proſpectus item ſitusque amœnitate elegantiſſimus. Hoc autem ædificium vel palatium extruxit Ferdinandus Aragonenſis I. Neapolis Rex, forma quadrata & oblonga, in cuius parietibus antiquiſſimæ picturæ cernuntur. Media area eiuſdem ſub dio ad lauandum deſtinata eſt, è qua tribus gradibus deſcenditur, quaſi in labrum quoddam, vbi aqua pro libitu intromittitur, & totam illam aream porticus ornatiſſima ambit. Sed in poſtrema obſidione vrbis Neapolitanæ, Galli non hanc porticum tantum, ſed totum fere hoc palatium corrupetunt. Cum hoc lauacrum adhuc eſſet integrum, credo nullum vel magnificentius vel amœnius co fuiſſe in vniuerſa Italia. E regione huius palatij ædificium aut palatium eſt, & locus è quo aqua per canales in ipſam vrbem deducitur.

Inde itur in hortos, in quibus alia porticus, ante quam locus ſpacioſus & amplus, neglectus tamen ac arundinib.

vepribus.

vepribus & dumetis repletus. Hinc rurſum tranſitus eſt in alios atque alios hortos: tandem peruenitur ad fontem aquæductuum amœniſſimum limpidiſſimumque & ſaluberrimis aquis ſcaturientem. Fuerunt iuxta hunc caueæ, quibus varia genera animalium includebantur, ſed illæ quoque à Gallis confractæ ſunt. Ex hoc igitur loco per ædificia olim familiæ deſtinata, ad primum redire licet, vbi fonticuli, & blandiſſima aquarum præterlabentium murmura, ſyluulæ ac fructuum aſpectus iucundiſſimus.

Conſpiciuntur inde veſtigia vrbis *Palæopolis*, cuius Liuius mentionem facit. Eſt quoque alius locus prope Neapolim non minus amœnus, quarto lapide ab vrbe in pede montis Veſuuij, in quo monte, Plinius naturalis hiſtoriæ ſcriptor & claſſis Augusti Præfectus inter cineres perijt, id quod Plinius ſecundus teſtatur in epiſtola quadam, cum idem mons paulo ante arſiſſet inſtar Ætnæ in Sicilia. Naſcitur autem ad radices huius montis vinum Græcum, quod alij *Pompeianum* vocant, optimum & multorum autorum ſcriptis celebre. Palatium quod ibi extat, à vici-

Vinũ Græcũ.

vicino pago nomen accepit, & *pietra bianca*, vocatur, nos *Leucopetram* nominare possumus, intus totum marmoreum, & opere vermiculato in ipsis cubiculis ornatum. Est in eo Nympha dormiens atque incumbens vrnæ, è qua ingens copia limpidissimæ aquæ profluit, quæ per canales marmoreos postea dilabitur, nec vllam partem pauimenti lædit, cum iidem canales etiam piscibus inseruiant, quasi parua quædam viuaria. Opinor veteres talia ædificia vocasse *Nymphæa* tam Romanos quam Græcos, sed hoc recens est, & à quodam Consiliario Caroli V. Imperatoris extructum, circa annum Christi, vt aiunt 1530. Habet ab vna parte vicinum mare, ab aliis planiciem, cuius mira fertilitas frumenti, olei, vini, & fructuum omnis generis. Difficile est credere, tamen verum, reperiri ibidem vites, quarum vna interdum proferat metretas vini X. vel XII. hoc est nostræ mensuræ vrnas V. aut VI, vel etiam plures. Sed & illud mirum videri potest, quod quidam literis mandauit, spirante Aquilone propelli in agrum Neapoli-

politanum ex Aphrica , tantam copiã coturnicum, vt & glomeratim in ædes mari vicinas cadant, & sine vlla difficultate manibus prehendi queāt. Quin etiam inter volandum illas sæpe in triremes incidere , vi ventorum ac longo itinere defatigatas. Postremo ea est Neapolitani agri amœnitas,ea ædificiorum magnificentia, fontium & aquarum salubritas,tāta copia illarum rerum,quas natura ipsa tanquam miracula quædam prodidit,tot vestigia antiquitatum,ea denique fructuum aliarumve rerum,quibus vita humana sustentatur , vbertas , vt non solum pars quædam *Campaniæ felicis* rectè appelletur,sed verè sit sumen quod aiunt, fertilitatis,& ipsum cornu τ' ἀμαλθέας Quæ omnia cum diligentissimè perlustrassemus,non tam pertæsi laboris (hunc enim facile leniebat cupiditas nostra & pulcherrimarum rerum inspectio) quam quod ad Musas nobis redeundum arbitraremur:relicta Neapoli,ac Caietam vrbem antiquissimam prætervecti,Romam contendimus,& inde per Thuscos Patauium,

DE AGRO NEAPOLITANO

CAP. III.

NOn deſcribam accurate totum tractum agri Neapolitani,quem proprio nomine *Campaniam felicem* vocant;nam hoc ad officium Coſmographi pertinet:ſed ea tantum annotabo, quæ Antiquitatem ſapiunt,& præ cæteris admirationem aliquam habent. Quare etiam illa non per capita diſtinguam,ſed grata veteris memoriæ renouatione, indicabo eo ordine quo a nobis conſpecta ſunt, ſine omni verborũ fuco aut rerum falſitate: Tum quód orationem veritatis ſimplicem eſſe deceat, tum quod ipſa narratio hoc requirat,&*Veritas* hiſtoriæ fundamentũ ſit.

Portus Baianus.

CVm igitur ad ſextum lapidem ab vrbe Neapolitana veneris, videbis locum, quem *la peſcina mirabile* vocant Itali Ingrediebamur molem quandam in ædificium grande oblongum, quadrangulare ac fornicatum, vt ita dicam, & templi formam præ ſe ferens. Habebat id in longitudine quatuor ordines colum-

columnarum quadratarum, quibus fornices sustinebantur, & quo libet ordo continebat columnas XII. vt essent numero XLVIII. diuersæ magnitudinis & figuræ. Quod cum mirum videretur his, qui vna mecum has antiquitates perlustrabant: nihil mirum est, inquam, cum grauissimi autores literis mandarint, Dianæ Ephesinæ templum CXXIII. columnas habuisse, quarum quælibet pedes LX. alta esset. Descendebamus autem duobus gradibus, vndique continuis, sed fenestræ nullæ aderant, nec vllum aliquod illarum indicium, & lumen Solis hinc inde per rimas incidebat: alioquin ædificium ipsum satis integrum erat. Itaque ne diuinare quidem licebat, in quem vsum olim extructum fuisset, multo minus asseuerare. Sunt qui putãt fuisse piscinam, cum ex forma illius loci, tum ex Plinio, qui scribit *apud Baulos in parte Bajana, piscinam habuisse Hortensium Oratorem pro murænis, quarum vnam, adeo perdite dilexerit vt mortuam defleuisse diceretur.* Blondus Luculli domum fuisse existimat. Alij scribunt Antoniam vxorem Drusi, murænis illud ædificium, extruxisse.


Quanti

Quanti autem piscium viuaria, & in primis murænarum à veteribus æstimata fuerint, ex probatissimis autoribus intelligi potest, & coniecturam nobis augebat, quòd in ipso monte seu colle potius, illa adhuc conspiciebātur, quæ apud eundem Plinium leguntur, cum ait, *veteres*, vt Lucullum & Hortensium, *montes summis impendiis excidisse, quo mare admitterent.*

Centum cellæ.

HAc mole egressi peruenimus *alle cento camerelle*. Qui locus ex opposito prioris est, sic dictus quod nihil aliud præter cameras vel cellulas in se contineat, vna subinde in alias ducente. Situs eius in colle est hodie. An autem olim quoque fuerit, dubito propter ruinas & fornices, quorum aliquot seiuncti sunt à reliqua structura ædificij, vt verosimile sit multo capacius fuisse aliquando & elegantius. Has igitur ingressi ruinas, iterum peruenimus ad ædificium amplum, quadratū ac columnis quadratis ordine quadruplici constructum: ad quarum vnam foramen erat, per quod dux inspectionis huius antiquitatum, se demittebat, vt nos

vt nos in eo exciperet, & descensuris opem ferret. Tum vero in ambitum quendam veniebamus plenum cellulis, vt vocant, quæ ipsæ quoque omnes forma quadrata erant, sed aliæ alijs capaciores. Inde in alias cellulas & ambitus patebat via, distinguebatur enim pluribus anfractibus ipsum ædificium. Erat præterea adeo intricatum propter similitudinem cellularum, vt non sine causa quidā putarint olim *Labyrinthū* fuisse, è quorum numero est Antonius de Russis Calaber: quem tamen existimo forma potius commotum vt ita sentiret, quam aliis circumstantiis. Leander Bononiensis putat fuisse cisternam seu locum, in quo aqua seruabatur apud veteres. Ego vero nullum argumentum vidi, ex quo vsum illius conijcerem, nulla cardinum vestigia in cellularum foribus, quas humiles & angustas habent, nusquam fenestræ erant, aut illarum loco aliquid, Intus autem omnia gypso albicabant, & passim reperiebatur terra congesta altitudine semicubiti, vt in antro Sibyllæ, de quo paulo post dicemus,


Rouine di Capoua
Lago d'Auerno
Rouine di Tempio d' Apol ine
Grotta della Sibilla

Mons Canita.

ERgo hoc loco etiam relicto, ingrediebamur cymbam, quam habebamus in promptu, & prætemauigabamus montem *Canita* dictum Itali, iuxta quem in vicino scopulo montem adæquante separato tamen ab eodem, arx erat miro ingenio extructa, forma situs rara, ad cuius radicem amplissima ædificia cernebantur, sed ob vetustatem magna ex parte collapsa in his ferunt olim habitationem *Tullia* fuisse.

Lacus Auerni.

APpulimus deinde ad littus Baianū, & naui egressi, iuxta frequentissimas ædificiorum ruinas deambulabamus, vepribus obductas vsque ad *lacum Auerni*. Is velut in secessu quodam est, collibus verius quam montibus septus, figuræ orbicularis iustæ magnitudinis, in quo nautæ negant fundum reperiri posse. Accepit autem nomen à grauissimo exhalationum odore qui ex ipso ascendit, & auibus perniciosissimus est, vt Virgilius annotauit, cum ait:

Inde

nde vbi venere ad fauces graue o-
lentis Auerni,
Tollunt se celeres,
E. paulo post:
Quam super haud vllæ poterant im-
punè volucres
Tendere iter pennis, talis sese hali-
tus atris
Faucibus effundens, supera ad con-
uexa ferebat,
Vnde locum Graij dixerunt nomine
ἄορνον.

Ad colles illius sunt ædificia nostræ ætatis fere, satis pulchra, sed propemodum thermæ. Plinius annotauit iuxta hunc lacum Cimmeriorum oppidum fuisse, quorum labor erat vt metalla è cauernis terræ effoderent, nec vnquam conspicerentur à Sole, Homero teste. Ego vero non ausim affirmare ruinas, quæ in hoc littore cernuntur, inde restare, etsi nullum dubium sit, quin eo in loco oppidum aliquando fuerit. Sunt autem Auerno vicinæ, & vt Vergilius ait, est ad sinistram harum ruinarum, iuxta lacum,

Ex-

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Vnde ruunt totidem voces responsa Sibyllæ,

Descendendum ad radicem montis, vbi tenebrosus ingressus in specum, in quem nos funalibus accensis ingrediebamur Mercurium nostrum sequentes: Erat is ingressus initio satis latus & altus, post aliquanto fiebat angustior, tandem rursum se dilatabat in planiciem, cuius longitudo L X. passuum fere, latitudo X. Inde via in concamerationes aliquot, miras & centum illis superioribus prorsus dissimiles. Nam maiores sunt & altiores. Præterea alio ordine, & inæquali soli planicie inter se distant, habent aditus nunc accliues nunc decliues, parietes vetustate corruptos & squalidos, vnde totus locus aspectu horridus. Est inter has, siue cellulas siue cōcamerationes, vna quam Sibyllam inhabitasse perhibent, quadrata forma, olim Musiaco opere ornata, vt Bacchi templum iuxta Romam. Ac licet tesserulæ em-

hiematum omnes propemodum inde exemptæ sint, ab his qui cognoscendarum antiquitatum studio istic fuere: conspiciuntur tamen in ea adhuc passim vestigia quædam veteris ornatus; quo argumento moti *Sibyllæ* eam tribuunt; quia omnium elegantissima est, & loco Auerni vicina, vndique continua cæteris cellulis, vnico ostio patens. E regione autem ostij arcus est in muro vel pariete ea forma ac si caminus fuisset, qui tamen eo in loco esse non potuit. Porrò ex hac cellula itur in aliud conclaue, quasi in aululã quandam, cuius latitudo passuum octo, longitudo circiter viginti duorum. In qua cum tantam copiam vespertilionum inuenitemus, vt glomeratim parietibus adhærerent, & conspectu funali nobis molesti essent, pedem inde retroferre cogebamur, eademque via reuerti, qua ingressi eramus has siue cellulas siue concamerationes. Mirum autem quantum illæ iudicium spectatorum perturbent, vt vix ideam aliquam totius huius ædificij mente concipere possis. Sunt in ijs interdum parietes intermedij, in parte superiore aperti, & in aliquibus illarum reperitur subinde

subinde terra congesta, vt in aliis 100. cellulis, de quibus supra dixi. Animaduerti quoque nostrum in eas ingressum, recenter inuentum esse, nec tamen alium vidi, qui olim in vsu fuisset, & sunt hæ cellulæ omnes medio in monte extructæ, nec lumen vllum cœli habent. Itaque nulla coniectura, nullis argumentis assequi potuimus, quidnã aliquando fuerit totum hoc ædificium aut in quem vsum constructum.

Academia Ciceronis villa, & Thermæ.

EXtra hæc montium aut collium septa, quæ Auerni locum ambiunt Puteolos versus, *Academia Ciceronis* villa olim fuit, porticu & nemore insignis, nunc eo in loco sunt *Thermæ* eiusdem Ciceronis nomine celebres. Cœperunt autem hæ post obitum illius sub Antistio quodam successore in eadem villa; & versibus eos celebrauit Laurea Ciceronis libertus in honorem patroni, vt Plinius scribit. Itali vocant *I bagni di Tritoli.*

Situs illarum amœnissimus, & ad radicem collis domus aliquot positæ, aliæ aliis elegantiores, pleræque humiles, & bona ex parte desertæ. Mense Maio tamen incoluntur, confluit enim tum temporis ad eas Thermas magna multitudo hominum, sanitatis conseruandæ causa, vel etiam recuperandæ, eo quod saluberrimæ sint propter varietatem metallorum, sulphuris, nitri, salis, ac bituminis, quo titulo etiam Plinius eas commendat, & addit quosdam solo vapore prodesse.

Cumæ. CAP. IV.

Distant ab his Thermis CVMAE tertio propemodum lapide, de qua quidem vrbe vere dici potest id quod in prouerbio est, *Cumæ fuit*. Nam ex tam ampla ac celebri vrbe, nihil fere nunc restat, præter ruinas, quas pauci aliquot piscatores inhabitant, & monumenta quædam, sed vetusta admodum ac consideratione digna, præsertim in eo loco, quem *Lo cauallo* nominant, Est & arcus triumphalis ibi satis integer, & templum Apollinis, de quo ita scripsit Virgilius:

At

At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendaque procul secreta Sibyllæ, &c.

Liuius testatur, hanc vrbem à Cumæis Euboiæ populis & Chalcidensibus extructam, Strabo vero non tam ab eo sæculo illam commendat, quo extructa est, vel ab ipsis fundatoribus: quam à monumentis & antiquitatibus. Ait enim sumptu illarum atque copia, præcelluisse omnibus aliis Italiæ ciuitatibus. Quo minus falsum illud est quod Blondus scripsit, vna Roma excepta nullibi in Europa reperiri tot sumptuosissimorum ædificiorum ruinas, quot intra *Cumam & Baias:* nec dubium quin opulentissima ac populosissima olim hæc vrbs fuerit. Constat enim *Parthenopen vel Neapolim* ex ea cœpisse, missis inde in hanc ciuibus. Postea vero ab iisdem Cumæis euersam, quod opes illius indies augerentur. Quo facto scribunt grauem pestem agrum Cumanum inuasisse, cuius cum neque finis vllus esset, nec incolæ illius remedium vllum inuenirent, quo tantum malum depellerent, fama

 est eos

est eos oraculum consuluisse, quod respondit, causam pestis esse Parthenopen, nec prius desituram, nisi eius vrbem reædificassent, ac restitu ssent in pristinum statum. Quod cum fecissent, pestem eu dem desisse, sed vrbem postea populi seditione, & terræmotu vexatam atque viribus exhaustam quasi matrem obiisse, relicta filia vrbe Neapolitana, quæ verè hodie viuit.

Iam vero ad portum Baianum reuertebamur, cuius Agrippa autor fuit, vt Dion Cassius scribit, in quo cymbam nostram reliqueramus, Puteolos nauigaturi. Cum inter nauigandum nobis sese offerunt præalti montes, ad quorum rad ces erant continuæ ædificiorum ruinæ, vnde facile conijciebamus, eo in loco ingens oppidum aliquando fuisse, sed frequenti terræmotu deiectum & desertum ab incolis. Apparebat enim expressa figura deuastatæ vrbis vel oppidi, iamque arbustis & vepribus frondescentis, pauca ædificia inhabitabantur à pauperibus quibusdam nauiculariis, quod portus ibi satis tutus sit. Hæc cum videremus, venit mihi in mentem eius, quod alicubi Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribit

bit, cum ex Asia aliquando reuerte- nauigaret, & ab Ægina Megaram versus nauigaret, cadaueribus oppidorum se circumdatum fuisse. Erant enim ante nos vestigia illius ciuitatis, de qua modo dixi, à tergo Cuma, ad alterum latus Baiæ, nec longè aberant Puteoli, quæ oppida cum quodam tempore florentissima fuissent, nunc prostrata iacent ante oculos. Itaque mirabar conditionem ac fortunam rerum humanarum; & cogitabam, quid de nostris regionibus aliquando futurum esse, quæ vti neque ita excultæ sunt, neque tantis opibus refertæ, neque fama adeo celebres vt istæ olim: eo facilius eas posse interire. Memineram etiam illius, quod apud Batauos antea, in Oceano Germanico & Selandiæ insulis videram, pagos aliquot oppidaque submersa, quorum turres & editiora loca passim sese e mari attollerent, tanquam speculæ quædam, euidens argumentum fragilitatis humanæ, & quã nihil stabile aut perpetuum sit in vita.

Omnia orta occidere. l.b. 4 Epist 5 ad Famil

Sic Pyrrham & Antissam vrbes circa Mæotin, sic Elicem ac Burim in sinu Corinthiaco, pontus abstulit, quorum

rum vestigia in alto nunc apparent, inquit Plinius: & noti de ijs sunt versus Ouidij:

Si quæras Helicen & Burin Achaidas vrbes
Inuenies sub aquis, & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent, cum mœnibus, oppida, mersis.

Thermæ.

Ergo his quoque ruinis relictis, continuum montium tractum in eodem littore sequentes, peruenimus ad montem, in quo iterum *Thermæ* erant. Is cum intus haud dubie vehementer ardeat, foris tamen nihil tale præ se fert. Ingrediebamur autem in ipso, primum amplam & prælatam camerā; cuius parietes & fornix antiquo ac vermiculato opere olim ornatæ fuere, id quod reliquiæ illius testantur. Habet hæc camera aditum satis amplum, & intus ad vtrumque parietem lectisternia murata, qu bus puluinaria imponuntur, vt qui lauarunt in ijs quiescant. In ipso porrò ingressu duo labra quadrata, &

drata,& è regione ipsas Thermas duos pedes profundas, egregie temperatas, nullius graui odoris,nec quicquam sulphuris habētes,sed nitrosas atq; aluminosas tantum.Est autem specus patula è qua aqua erumpit,tam commode excauata , vt plures simul in ea lauare queant: verum quanto longius in ea procedis,tanto feruentior est ipsa aqua. Ferunt hæc balnea saluberrima esse, præterquam quod amœna quoque sunt propter vicini maris vndas, è quibus murmura & susurri gratissimi excitantur.Extra hāc specum scala est plus minus XX.graduum,per quos oblique ascenditur ad *sudatorium*,sic enim vulgari lingua vocant.In illud ingressus patet antri instar satis altus, non tamen latus,lumen cœli passim per foramina excipiens, vt sine tæda vel face in eo progredi aliquantulum possis.Inde duplex via,quarum illa, quæ ad sinistram est,multa lectisternia murata continet, eiusdem vtilitatis cum superioribus,& tota protenditur in montis latus,ac in prærupta quadam eius parte definit: altera ad viscera montis inclinat,vt verisimile sit in ardentissimis ipsius cauernis eam desinere. Nos accenso fu-

nali tantum progrediebamur in ea, quantum præ calore poteramus. Ac in initio quidem tantum teporem quendam sentiebamus, post vlterius in ea progredientes calorem magnum, qui cum superiora peteret, mire offendebat caput, atque eo magis quo progrederemur longius, vt humi aliquantisper repere cogeremur. Cum igitur sudore propemodum difflueremus, licet omnibus vestibus exuti, ac funale nimio æstu liquesceret, pedem retroferre cogebamur: & eadem via reuersi qua ingressi eramus, in inferioris partis huius montis balneis nos abluebamus, de quibus paulo ante diximus.

Fons marinus & via Attellana.


Porro intra hunc locum & Puteolos duo alia vidimus digna quæ annotentur. Alterum erat fons marinus, alterum via Attellana, vt vocant. Prosilit è mari, viua ac limpidissima aqua, sapore dulcis, altitudine duorum pedum, magnitudine capitis humani. Eius causam existimo subterraneos quosdam meatus, qui illam aquam ex vicino

vicino littore deducunt in eum locum vbi erumpit. Idem censet Leander Bononiensis, vir doctus, & quo nemo diligentius Italiam descripsit, meo quidem iudicio. Fieri tamen potuit, quod olim, cum iste locus esset continens, ex alio quodam loco ab incolis huius per carnales pulueris Puteolani, aqua viua deducta fuerit, qua illi fontis vice vsi sint, postea vicinum mare eruperit, ac totam eam occupauerit terram, vnde adhuc fons hic supersit. Eijcit autem aquam tanta copia, vt longo interuallo eandem fluentem cõspiceremus, ab aqua marina distinctam, quod esset purior & fontanæ similior. Sed posttemum hoc antea videram ad Dordracum Hollandiæ oppidum, vbi Mosa (ni fallor) simili impetu in Oceanum Germanicum fertur, latitudine trium fere perticarum.

Plinius annotauit, in Baiano littore alicubi aquam calidã è mari prosilire, de quo ego nihil compertum habeo. De *via Attellana* sciendũ, esse eam ab vtraque parte plenam collapsarum tabernularum, quarum forma partim quadrata, partim rotunda: & sunt in his tabernulis testudines vel

arcus in quibus loculi & vrnæ conspiciuntur, vt coniiceremus illa ædificia olim sepulturæ destinata fuisse. Quamuis accolæ illius loci in eum vsum illa extructa dicebant, vt res venales in iis haberentur, & ex ea persuasione vulgari lingua vocant *il mercato di Sabato*. Certum enim est, demortuorum hominum corpora apud veteres comburi solita, & cineres in vrnas recondi. tos. Illud mirum, quod quidam è socijs nostris ex vrna quadam eximebat partem cranii capitis humani, miræ densitatis. Nam indicium erat, non cineres tantum, verum ossa quoque cadauerum aliquando hisce loculis conservata fuisse, postquam caro illorum à Sarcophagis consumta esset. Erat hæc cranii portio, contactu initio satis dura, quamprimum vero aerem sentiret mollescebat, & tandem in puluerem resoluebatur. Sed relinquamus mortuos, nec ossibus inferamus bellum.

Prius autem quam Puteolos veniremus, incidimus in eos qui alumen conficiunt. Hi è vicinis collibus excisos lapillos in fornace coquunt, quibus coacervatis per dies aliquot suffundunt aquam è puteis haustam, vt in ea macerentur


TEMERA RIOS
Lacus Agnanus.

acerentur instar calcis, & in cineres digantur. Porro ex his cineribus lixivium faciũt, quod vasis ligneis infundunt. Id vero circum oras vasis se in densitatem colligit, atque adhærendo vndequaque concrescit in morem glaciei: Tandem certis instrumentis illam materiam inde eximunt, ac vsui reseruant. Non longe ab hoc loco sunt Thermæ, quas Itali vocant, *I bagni d' Agnano*, quæ licet casas humiles habeant: salubritatem tamen valdè commendantur: & certum est quotannis eas vel nouo frequentari à Prorege Neapolitano & alijs proceribus illius regni. Est in ijsdem collibus & littore prope has Thermas locus, quem Itali vocant *la grotta del can*, nos *antrum caninum* possumus reddere, specus plenus lethalis aeris, & qui nullum animantium genus viuũ ferat. Eius altitudo pedes VIII. aut IX. latitudo circiter VI. nec vltra passus IIII. in ipsum collem protenditur, ac deorsum paulatim declinat, calidum humidumque spiritum exhalãs; quod vel manu immissa deprehendere licet. Accepit autem ex eo nomen, quod quicunque illuc veniunt, experimenti causa canem aliquem in illum protru-

dere soleant: quem cum mortuo similem confestim extrahunt, & aqua perfundunt è vicino lacu sumta, vitæ & vigori pristino restituunt. Nos præter canem ranas quoque in eum projiciebamus grandes admodum, quæ quoniam non statim resiliebant, veneno so illo halitu necabantur. Plinius ait in Suessano Puteolanoque agro reperiri specus, quos spiracula vocent, alij Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes, quorum hic vnus esse potest.

Forum Vulcani.

NOn procul ab hoc loco planicies ampla conspicitur figuræ circularis, sulphure tota flauescens, quæ ipsa quoque lacum peculiarem habet, sed non magnum. Cum ergo soli illius materia ex mero sulphure constet, eademque accensa ebulliat, Strabo eum locum *forum Vulcani* appellauit: alij *campum Phlegri* nominarunt, vt Virgilius. Prope lacum cernuntur tuguriola aliquot è frondibus constructa, & iuxta ea fornices in quibus sulphur coquunt. Ab his si ad lacunas ipsas progrediaris (vix enim merentur nomen lacus) vi-

dee


Forum Vulcani Puteolis vulgo Solfatara.
252
Pu teoli

des illas densissimum fumum euaporare,& aquam feruentissimam ebullire. Fama est, nec à vero dissentit, si animal aliquod in eas projcias, & parua mora interposita, idem inde rursum eximas, præter ossa nihil reperiri: ferunt etiam de ouis nescio quid.

Conspiciuntur autem circa has lacunas, infinitæ cruces ligneæ, quas in extrema illarum ora, quasi metas quasdam instar columnarum Herculis, posuerunt quidam, cum accessus ad eas valde periculosus sit.

Nam quocunque incedas, percipis auditu subterraneam concauitatem, è qua ex improuiso interdum erumpunt sulphureæ flammæ, & pœnam sumunt de audaculis istis. Quia leuis & arida est illius soli superficies, nec vbi vis in ea exspaciari licet. Scio Plinium naturalis historiæ scriptorem multis suspectum, quod Græcorum more, falsa veris miscuerit. At nos vidimus ista,& ideo maiorem fidem ei adhibemus, de his aut similibus rebus disserenti, Verissimum enim est quod ille alicubi præclare ait, diffusam

per-


per omnia naturam subinde aliter atque aliter tãquam numen quoddam erumpere.

Libr. 2. Natur. hist ca. 93.

Puteoli. CAP. V.

CVM ex hac ampla & profunda planicie in collem redis, vides in radice eiusdem amœnissimum locum, & ad littus maris Puteolos. Putant autem *Puteolos* à puteis dictos, quod olim magna copia illorum ibi esset, siue Latinam deriuationem sequamur, siue Italicam. *Pozzo* enim puteum sonat Italis. Vel etiam à graui odore aut fœtore, qui è vicinis mineris, sulphuris scilicet & aluminis euaporat. Vetusti scriptores Dicæarchium appellant hoc oppidum. Et quanquam aliqui de situ illius contenderint, putarintque eo in loco olim fuisse, vbi nunc sunt ruinæ, nimirum in radice collis, vel paulò remotius, tamen descriptio veterum errorem hunc conuincit: & verius est in colle fuisse, in quo etiam hoc tempore sunt præcipua ædificia: quãquam fieri potest cæteras ruinas partem aliquam illius fuisse, vel suburbia, aut loca suburbio vicina. In ipso oppido nihil fere

Plin. libr. 3. ca. 5.



Mons Prochyta
Villa Vacia
MARE CVMANVM
Palus Patria
Lacus Auernus
Mons Misenus
Mare mortuum
MARE PVTEOLANVM
PVTEOLI
MOLVM
Promontorium Pausylipi
ARX NISIDÆ
Promontorium Puteolo
S. Saluatoris
MONS BARBARVS
PORTVS NISIDÆ
MONS PAVSILIPPVS
LACVS ANIANVS
Turris Astrum
Lacus

fere visu dignum præter templum, quod antiquissimum est, atque ea industria extructum, vt facile agnoscas, Ethnicum fuisse. Sunt præterea ei insculpta nomina Architectorum, ac illius cuius in honorem extructū fuit. Cernuntur & ossa ibidem prægrandia corporis humani, quibus Pomponius Lætus diligentissimus indagator Antiquitatis hanc inscriptionem fecit.

Huc quicumque venis, stupefactus, ad ossa Gigantum,
Cur sint Hetrusco condita, disce, solo.
Tempore, quo domitis iam victor agebat Iberis,
Alcides, captū longa per arua pecus.
Colle Dicarchæo, clauaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.
Hydruntemque petit pars altera, & altera Thuscos,
Interijt victus terror vterq; loco.
Hinc bona posteritas, immania corpora seruat,
Et tales mundo testificatur auos.

Inco-

Incolæ huius oppidi omnes fere sunt piscatores, & magnum quæstum percipiunt ex iis qui videndarum Antiquitatum causa eo veniunt. Locant enim illis operas suas, & monstrant Antiquitates in toto illo tractu maris. Extra oppidum sunt monasteria aliquot, & palatia nobilium satis elegantia. Conspiciuntur quoque vestigia antiquissimorum ædificiorum Romanorum: cum certum sit vrbis Romanæ proceres in his & vicinis locis, de quibus hactenus dixi, delicias suas habuisse, tam ex epistolis Ciceronis, quam ex Polybio, Dionysio Halicarnassæo, & Liuio.

In horto Franciscanorum Terminus est v.su d gnus: iuxta oppidum fornices & concamerationes aliquot, quas putant thermas fuisse, Si ascendis ad monaster um, vides tres egregias columnas, sin ex eodem descendis, *Amphitheatrum* amplissimum forma ouali, foris Romano illo corruptius, sed intus integrius. Nam & sedilia habet, quã iis aliquibus in locis terra velarbustis obruta, & ambitum muri integrum valde altum. Ego hoc Amphitheatrum vnum esse existimo ex præcipuis Romanæ

manæ Antiquitatis, quæ adhuc extant.

Non longe ab illo est aliud ædificium concameratum, miræ artis ac structuræ, multis cellulis distinctum, vna subinde in alias ducente. Habent enim singulæ cellulæ portas IIII, per quas in coniunctas & vicinas itur, vnde suspicor olim Labyrinthum fuisse, Ita li vocant *le Camerelle*. *Labyrinthus*

Cernuntur præterea in sinu Puteolano, ingentes pilæ maximi pontis, è littore Puteolano in oppositum littus maris constructi à Caligula Imperatore, vt Suetonius scribit & Dion Cassius. Item insula *Crape*, vel vt Dion eam vocat *Caprea*, in quam Tiberius se recepit, cum solitudinem quæreret, plebis conspectum fugiens.

Mons è terra erumpens,

ILlud silentio prætereundum non est quod in eo loco agri Puteolani, quem Tripergulam vocant, & iuxta quem Academiam, Ciceronis villam olim fuisse supra dixi, ante paucos annos, nimirum anno Christi M D XXXVIII. mons quidã eruperit è terra, qui

qui adhuc extat, & in ambitu circiter quatuor millia passuū continet. Præcesserunt eum per aliquot dies continui terræmotus, & incendia materiæ sulphureæ, illiusque liquoris, quem vulgo *oleum petra* vocant. Postea excrescente igne in iustam flammam, & materia aliquantulum consumpta, securæ sunt eiaculationes cinerum & lapidum, importunissimi venti, & tanta aeris perturbatio, vt tota mundi machina ruitura putaretur. Quæ omnia diligenter annotauit Leander Bononiensis, & ante eum Salernitanus quidam lingua Italica eius tragœdiæ spectator. Scripsit quoque Simon Portius de ea re libellum, cui titulus *de incendio agri Neapolitani*. Et quanquam hoc mirandum spectaculum Dei opus fuit, naturam inferiorem gubernantis: tamen causæ illius perpendendæ sunt, si quæ in natura esse possunt. Verisimile autem est causam eius rei fuisse halitus adeo acres & potentes terræ inclusos, vt ipsam vi sua potuerint attollere; cumque terra propter pondus suum iisdem fortiter repugnauerit, ab illis extra locum suum magno impetu protrusam esse. Nam talium exhalationum

num ingentem copiam fuisse, argumento fuere eiaculationes cinerum & lapidum, quæ indicarunt terram ipsam bona ex parte consumtam, & in aerem resolutam. Sicut Ouidius testatur eruptione spirituum è terra, ad Trœzenam vrbem tumulum ex area factum, his verbis:

Est prope Pytheam tumulus Trœzena
sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus.

Et pellunt in aquis nouæ insulæ fieri, non tamen eadem ex causa, quemadmodum Seneca scribit sua ætate, *Theron & Thiream* insulas in mari natas, non per alluuionem aliquam, vt Echinades olim, (de quibus Plinius aliquid annotauit) aut Ægyptus, quam fluuij donum vocat Herodotus: sed eruptione quadam, & multis hominibus spectātibus. Nam exhalationes aut venti adeo vehementes interdum sunt, vt extra aquam etiam terram ipsam eleuent. Sic Ouidius scribit, ex iniectis ramentis in Tiberi insulam natam. Nec ratione physica caret tota hæc metamorphosis

Lib. 2. Nat
Epist. c. 85.

phosis: sed nemo melius indicauit eius rei causas, quam Strabo, cum ait, quoniã omnia continuo mouentur ac trãsmutantur, existimandum esse, nec terram semper permanere, ita vt nihil ei vel addatur vel adimatur: nec etiam aquam; cum transmutatio eis cognata sit & naturalis. Nunc ad vrbem Neapolitanam propius accedamus.

Mons Pausilypus.

CAP. VI.

Profecturis igitur Neapolim ex agro Puteolano, vltimo lapide ab vrbe transeundus est mons, quem *Pausilypum* vocat Plinius. Is excauatus, planum in inferiore sui parte directumq; transitum habet: longitudinis miliaris Italici, vel maioris aliquantulum: altitudinis tantæ, vt duo currus mercibus onusti vnà transire commodè possint; altitudinis imparis. Sub vtrumque enim ingressum (qui formam portarum habent) ita patet, vt equo insidens aliquis erecta hasta in eam ingrediatur, nec attingat fornicem. Intus

tus autem imminuitur aliquantulum ista altitudo, & staturam trium hominum non excedit. Est autem hic mons summa industria excauatus, lateribus vtrinque planis & æqualibus, fornicatim coeuntibus, habens ab vtraque parte subingressum foramen, per quod lumen Solis incidit, sub medium luce omni caret. Vnde moris est, cum duo simul plurésque equis vel curribus eo in loco sibi inuicem occurrunt, vt *alla montagna*, vel *alla marina* clamitent; hoc est, montem vel mare versus, vt quisque illorum sciat in quam partem declinare debeat. Vulgo putatur, si quis in hoc specu occidat aliquem, eum nullo modo posse egredi, idque vsu compertum aiunt. Dum ex hoc specu egrederis Neapolim versus, offerunt se duo fana diuæ Virgini dicata, quorum alterum recens extructum donariis clarere incipit, propter *Diuam Virginem, partus*, vt vocant, miraculis insignem, alterum fere negligitur, cum olim celeberrimum esset. Quod ideo fieri intelleximus, quod gradus per quos in vicinum montem ascensus patebat, hodie in inferiori parte abrupti sint.

Iuxta

Iuxta primum ſacellum aut fanum ſepulchrum Vergilij Maronis monſtratur;alij putant in hortis monaſterii, ſupra montem extare,cum hac inſcriptione:

Mantua me genuit,Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope,cecini paſcua,rura, Duces.

A tergo iuxta Pauſilypi pedem ad vrbem verſus ædificia multa ſplendida cernuntur,& inter cætera, quod Iacob Sannazarius extruxit: *Mergulinum* vulgus,docti *Mergulinas* vocant,vbi cum amicis doctis conuerſari ac ruſticari quandoque ſolebat. Id moriens habitationi religioſorum aliquot reliquit, & dicauit.

Eſt etiam aliud ibi fratrum Seruorum Monaſterium,& ædes S. *Mariæ del parto*,in qua Actij Synceri Sannazarij ſepultura & monumentum marmoreum,cui inſculptà ſunt varia inſtrumenta Muſicæ,ſingula ſingulorum ſuorum opuſculorum poeticorũ indicia. A dextro latere ſtatua Apollinis ex marmore; à ſiniſtro Palladis ſiue Mineruæ:

ſed

sed prædicti religiosi profanas statuas loco sacro cum non conuenire iudicantes, Dauids & Iudithæ nomina illis statuis subscripserunt. Epitaphia ibi duo sunt: alterum quod ipse Sannazarius sibi fecit, tale est:

Actius hic situs est, cineres gaudete sepulti,
Iam vaga post obitus vmbra dolore vacat.

Alterum ipsi fecit Petrus Bembus:

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni Syncerus Musa proximus, vt tumulo.

In eodem templo Diomedis Caraffæ cum huiusmodi Epigrammate sepulcrum extat:

Caraffæ hic alibique iacet Diomedis imago:
Mortua vbique iacet: viuaque vbique manet.

Sed redeamus ad *Cryptã* vulgo *la Grotta*. Hæc per intima mõtis viscera saxo mirabili opere exciso, transitum directum præbet per densas & perpetuas tenebras, quæ in ipsa spelunca sunt; vnde in ea luminis est nihil, excepta parte detecta siue aperta, quæ in longum 500. pedes habet, sed ex longinquo in ipsis ostijs in ingressu lumen refulgens tanquã

ſtella apparet iter agentibus, longa eſt perfectum & integrum miliare Italicum: eius latitudinis, vt tria plauſtra obuia commode ſimul procedere poſſint. De autore ſiue fabricatore huius ſpeluncæ nihil certi habetur; quidam eius originem adſcribunt magicis artibus Vergilij: quidam Lucullo, quidam Cocceio architecto: vtvt ſit, opus certæ eſt ſummæ admirationis, immenſi ſumptus, & infinitæ vtilitatis,

ITINE

ITINERARII ITALIAE

LIBER IV.

ITER SEU REDITUS ROMA PER HETRURIAM TRIDENTUM VERSUS.

OPPIDA ROMAE ADIAcentia ob antiquitatem ſpectanda.

OSTIA, TUSCULUM, PRÆNESTE, TIBUR,

Ex Laurentij Schraderi Monumentis ITALIAE.

OSTIA.

Oppidum ab oſtio Tiberino appellatum, ab Anco Martio, eo loco, vbi Æneas primum caſtra conſtituit conditum, in ipſo maris Tyrrheni & Ty-

bris fluuij confinio, vt totius mundi opes illo veluti maritimo vrbis hospitio reciperentur. Aerem grauem habet & pestilentem: olim maximis ædificiis ornatum, nunc in paucas & exiguas villas abijt. Turrim habet cum propugnaculo à Martino V. extructam, apud eam duobus ostijs Tiberis in mare influit, sed vno maximo, & impetuosiore. Ruinas & vestigia portus celeberrimi vidimus, cuius fundamenta adhuc è mari ipso eminent. Fuit vnum ex operibus admirãdis quæ vnquam Romani extruxerũt. Eius forma habetur apud Tramezinum, Pyrrho Ligorio inuentore. Lazarus Bonamicus dicere solebat: Omnes Christianorum Principes non posse talem extruere. Fuit dirutus à Gregorio Pont. f. propter metum Saracenorum, ne esset ad illorum irruptiones receptaculum. Sunt propè ruinæ multorum ædificiorum, & maximè Camerarum quarundam, quæ quidem amplæ sunt, sed valde humiles, quarũ nec formam complecti, nec numerum inire potuimus in tanta vastitate. In ijs reposita fuisse ea, quæ ex nauibus exportabãtur, verisimile est.

TVSCVLVM.

Vulgo *Frascada*, oppidum Sabinorum, à Telemacho Vlyssis filio conditum, dictumque quasi *Dyscolon*, quod aditum habuit difficilem: in dorso enim Albani montis situm, Catonum natalibus, & villa Ciceronis celebre, & coniunctione cum Friderico Ænobarba Imper. nunc penè desertum, & in humiliorem montis partem translatum, loco amœnissimo, salubri, & aquis abundante; versus Orientem montibus circundatum, cæteris partibus planities & sylua. Nunc instaurata à Paulo III. Pontif. Vno inde milliario monasterium S. Mariæ cryptæ ferratæ, quod inhabitant homines Calabri imitâtes regulam D. Basilij, & Græcorum ritu sacra facientes. In horto tria sepulchra antiqua, in quorum vno homines insident Elephātis, Camelis, & Leonibus, & basis cum virorum mulierumque imaginibus pulcherrima.

Eo in loco M. Tullij Tusculanũ fuisse nonnulli auctores sunt. Strabo Tusculi collem fœcundum aquis & regiis ædificiis abundasse refert, & continua esse loca, quæ ad Albanum vergunt

 montem

montem, eandem tum virtutem, tum apparatum magnificum habentia. Aquam Virginis, quæ hinc via Prænestina ad VIII. milliare Romam perducitur, in villa Luculli hic inueniam, Blondus asseuerat.

PRÆNESTE.

Vulgo *Pelestrina*, oppidum Sabinorum in decliui monte situm, vel à natura loci nomen habens quod præstet montibus, vt *Sex.* Pompeius; vel quod ilicera ibi fuerunt, vt vult Seruius; vel à Præneste Vlyssis nepote; vt Solinus & Martianus Capella; vel à Cæculo Vulcan filio, vt Virgil, Nobilitatum cæde Marij, ac templo Syllæ, quod in eo fortunæ dicauit, cuius apud S. Agapetum hodie vestigia extant, & eius etiam Lithostrati de quo Plinius meminit. Fuit autem tanto sumptu artificioq; factum, vt simile illic non viderim, & vt conijci potest, res à Sylla gestæ in eo repræsentatæ fuerunt. In domo Episcopali multæ imagines antiquæ, & simulactum Fortunæ marmoreum, cum inscriptionibus ab alijs notatis. Alluitur Venestri flumio. Mons in quo conditum est oppidum

dum olim Auentinus, vt Sequester air, nunc, vt Lexica habent, Aretinus dictus est. In radice montis, cui quasi affixum est oppidū, castellum fuit aquæ, cui fornices nouem alti & ampli, singuli quatuor habentes ostiæ, cernuntur. Ante ingressum Castelli xxr. fenestellæ sunt, quibus statuas imaginum suarum veteres imposuerunt.

Fuit in Prænestinis montibus Horatij Poetæ villa, vbi nunc Ecclesia S. Ioannis in Campo Horatij, vel vt alij dicunt, S. Mariæ in villa. Prænestinæ etiam viæ in syluis proximis non obscura apparent vestigia. Arx summo monti imposita est, cuius dominus Steph. Columna,

TIBVR.

VVlgo TIVOLI, oppidum LATII in monte situm, à Tiburto Argiuo conditum, à Gallis primo euersum, mox instauratum & auctum, Horatij Poetæ secessu cantatum, loco salubri & in primis amœno, propter cataractas Anienis, qui in montibus Trebanorum oritur, eo loco qui nunc vulgo *del Gozzo* dicitur, ex altissimo monte Tiburtino præceps in profundam vallem decidens, tanto impetu, vt fumum agere vnda videatur. Iuxta Tibur incipit esse nauigabilis, & per viridem planitiem placidè labens, Romanos Sabinosque disterminat; tertioque ab vrbe milliario in Tiberim influit, aspectu pulcer, potu dulcis, ingredientibus primo frigidus; mox calescens, dentes atque ebur immissum candidius facit. Pontes quatuor habet, sed insigniores *Mammaeum*, à Mammea Alexandri Imper. matre dictum, fornice vno ingenti, & duobus paruis: & Lucanum à Planco factum quatuor fornicibus: iuxta vtrumque, Inscriptiones antiquæ leguntur, quæ ab aliis relatæ. Ante ingressum

gressum Tiburis in quadratis basibus erectæ imagines Leonis, & equi, inter quos certatum fuisse ferunt de Tiburtinorum & Romanorum Imperio, sed equus victor existens, Leone pluribus vulneribus fauciato, opes Tiburis ad rem Romanam traduxit. Est & tertia basis in modum arcus facta; cui imposita fabula marmorea, in qua vir vnus sacrificans, & alter cranium hominis tenens, in medio circulus, in quo auicula, & post vnum virum cuniculus, ante alterum hircus, de qua nihil certi referentes incolæ, thesaurum ibi conditum somniant. In radice montis, antequam in oppidum ascendatur, templum ingens, rotundum & vetus, nunc Diuæ Virgini sacrum, olim Herculis fuisse asserunt. In editiori oppidi loco, aliud rotundum, ex cuius porticu XII. adhuc columnæ supersunt, Sibyllæ, vt aiunt, Tiburtinæ olim dicatum; & medium inter duo præcipitia Anienis. Locus vbi maximum præcipitium est, propter altitudinem vulgo *il Inferno* dicitur. Castrum quod vrbem despicit à Pio Secundo Pontifice incredibili celeritate à fundamentis

destructū,& extructum est, pulcrum & munitum.

Legitur versus IN PORTA Io. Ant. Campani.

Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis,
Sum sibi Tybur enim sic Pius instituit.

ITER ROMA FLORENTIAM.

AB vrbe ROMA via Flaminia XII.milliaribus Italicis distant *Baccana*, post Arsiæ siluæ exitum. Quo in loco nunc tabernæ cauponum sunt, eiusdemque nominis lacus, ex quo *Cremena*, exiguus quidem ille, sed magni nominis fluuius labitur.

RONCILLONIVM.

OPpidulum in colle inter Sutrium, cæde Hetruscorum nobile, & Graphalicam, vini bonitate commendatam, situm, Non longè abest lacus Cyminus,

minus à Virgilio celebratus, & lacus Vadimonis hoc longè maior, de quo Liuius: inter vtrumque calidarum aquarum copia maxima.

VITERBIVM.

Vrbs Phaliscorum, olim *Longida* dicta, vel vt alij, *Vetulonia*, sed verisimilius est, in his locis eam fu sse, sicut & Hetruria. Nam Viterbium, si Rhenano credidimus, quasi Vvit Erbum Germanico nomine appellatur, & est recentior: S ta in radice montis Cymini longi & præcipitis, loco plano & irriguo, lap de quadrato ædificata; factionibus Columnensium & Vrsinorum valde agitata, turribus plena, fontes in publico duos habet, vnus Germanico morefactus, Wie ein Rohrkaste / quasi castellum aquæ per canales ductæ. Abundat vino, frugibus, & fluminibus, fontibus tam medicatis quam dulcibus, inter quos sunt aquæ Caiæ, ab antiquis scriptoribus laudatæ. In ea multa sunt Epigrammata, inter cætera duo notabilia, vnum de M. Tullio Cicerone C. Iulij Cæsaris decretum, alterum Desiderij

Longobardorum Regis Edictum : sed vereor ne illud Tullianum confictum sit, vt de Patriæ suæ origine, omnique adeo Italia fabulosa commentus est Ioannes Annius Viterbiensis Monachus, qui & Berosum, & eius farinæ scriptores, subdititios pro veris euulgans, multos in eundem traxit errorē. Tulit hæc ciuitas nostra memoria virum egregie doctum Latinum Latinium, aliosque fortasse mihi ignotos.

MONS FALISCORVM.

Vulgo *Monte Fiascon*, Ptolemæo Falemium, & quondã Faliscorum caput, situm arduo loco, nobile vino Muscatelli, lino & alijs fructibus quãplurimis. Cato arcem *Iti* vocat, & ab Argis conditam refert. Plinius. Faliscum Prope Lucus Hetruscorum, quem nunc *Il bosco di monte.* *Fiascon* vulgo appellant, vbi hodie item Martiniano. Veiorum ciuitas fuit, De qua Li- us, & Halicarn, Lacus Sabaticus *vulgo Il Lago d'Anguillare.*

OROPYTVM.

VVlgo *Oruieto*, antiquum oppidum in montis capite non longè à lacu Cymino in altissima rupe positum, ac circumcirca flumine & riuulis cinctum, atque ita à Pelasgis conditoribus & eiusdem nominis vrbe, in Achaia appellatum. Procopius tamen *Vrbiuetum*, alij *Herbanum* nominant.

Templum primarium porphyretico marmore planè est incrustatum, Vestibulum Pario. In eo picturæ elegãtes, & statua Omnipotentis formantis ex costa Adæ Euam, opus certè pulcherrimum. Fenestræ alabastrinæ: sacella expolita valde.

Palatium Vrbani V. Pontif. & fons profundissimus à Clemente VII. in rupe excisus, quo casu ita ferente obsidionem aliquamdiu posset ferre. Ad introitum cuius legitur: *Quod natura munimento inuiderat, industria adiecit.* Profunditas dicitur CCLII. cubitorũ. Extra oppidum Pelius mons, à Peleo Æaci qui ibi primum consedit dictus, & fluuius eiusdem nominis cum alio, quem vulgo *Chiana*, Ptolemæus *Clanium* vocat.

VVLSINIA.

VVlgo *Bolzena*, ex duodecim Capitibus Etruriæ vna, nunc deleta, & in villam propemodum conuersa; amplissimo lacu Vulsinensiū adiacēs, cuius ager oleę est feracissimus & primo anno statim fructum facit. In lacu Insula à Monachis Diui Francisci habitata, in qua Almaricus OstroGothorum Rex Almasiundam genitricem occidi passus est. De qua Procopius lib. 1. belli Ciuilis, & Cassiodorus, qui eam adeò eloquentem & edoctam scribit, vt extremo afficiendi supplicio, & Almasiundam orantem audientes, mortem planè contempserint. Sunt hic Epigrammata quædam vetusta quæ ab aliis relata.

AQVA PENDENS.

OLim *Aquula*, oppidum oblongum & in monte positum, inter lacum Vulsinensium, & amnem Prilam, qui lapideo ponte sex fornicum transmittendus est, Inde alius pons quem nominant Centivium, à quo proximi vicus appellationes sunt consecuti.

S, Qui-

S. QVIRICVS.

Oppidum cum arce iuxta Osſennam montem. Hic memorandum eſt illud, Florentinam Rempub. magno ſumptu alere plurimos leones. ex quibus ſi vnus centeſimum & vnum annum ſupervixerit, ad eumque montem & oppidum ſit perductus, tum Senenſes veteri quodam iure futuros in Florentinorum poteſtate.

MONS ALCINOI.

Vvlgo *Mont-Alcin*: Celebris ob vina optima, quæ producit, eo noſtra ætate præcipuæ Senenſes familiæ, cum eorum ciuitas & domicilium à Cæſarianis & Florentinis obſideretur, commigrarunt, & monte vndique muniro contra omnem Principem Italiæ, ac ipſam Cæſaris potentiam, ſub Gallorum Regis patrocinio tamen, ſeſe tutati ſunt. Iam magno Duci Hetruriæ cum Senis paret.

SENÆ.

SENAE.

VVlgo *Siena*, Hetruriæ vrbs nobilissima & amœnissima, ad Arbiam fluuium, de cuius auctore est inter scriptores contentio. Alij enim à Gallis Senonibus tempore Brenni anno CCC LXXXII. ante Christum natum conditam: alij à quodam Pontifice ædificatam esse scribunt, eumque in eam sex vrbium diœceses contulisse, inde Senas appellatam. Fuit & alia *Sena* vnitatis numero, in Picenis Rom. Colonia. Huius, de qua loquimur, vrbis opes, ex interitu Clusij & Ruscellarum creuerunt. Est in edito loco sita, flexu sinuoso propter montis dorsum, lateribus angustior & procliuior. Tria quasi cornua habet, quorum illud quod meridiem spectat, latius est ijs quæ sunt ad Ortum & Occasum. Nam ea vrbis pars, quæ ad Septemtrionem est, exigua præ ceteris & plana. Valles intermediæ ferè hortis occupantur. Cœlum noxijs infestum ventis, ager inter sterilem & feracem medius. Strata latere coctili, ædificijs splen-

ſplendida, alia turribus, plateis recta & longa, formis puellarum inſignis, ciuium humanitate erga extero laudata, domeſticis tamen factionibus diſſentiens. Occupauit & tenuit enim illam olim per vim annis aliquot Pandulphus Petrucius: quo extincto, in libertatem ſe vindicauit, & opibus & potentia ſecundum locum à Florentia habuit, nomen libertatis agnoſcens.

Forum amplum, & multorum laterum, adeo vt propter angulorum inæqualitatem forma eius certa dici non poſſit, in medio profundum erectum è lateribus, vt penſile videatur: cui dignitatis non parum addit fons Brandus ex marmore cum multis Sanctorum imaginibus: patet XII. acceſſibus. Turrim habet quam, vulgo *Roccabruna* vocant. Palatium tali vrbe dignum, in quo Prætor vrbis cum Optimatibus habitat. In eo globus Geometricus maximus & excellens, conclaue cum hiſtorijs Romanorum & Senenſium. Ex palatio in turrim illi adiunctam aſcenſus eſt per gradus CCXIIX. vſque ad campanas, inde ad ſummum alij gradus L. Acade-

Academia à Pio II. Pontif. mirum in modum aucta atque exornata multis claris viris celebris est. Is quoque porticum fastigiatam suæ genti, Senis statui, & patentibus splendidum Epitaphium marmoreū posuit cum inscriptione quæ ab alijs refertur.

VOLATERRAE.

VEtustissima & natura munitissima ciuitas Hetruriæ, ad Cæcinā amnē, Lydorum Præfecto annis. C. ante vrbem Romam condita: posita in præcipiti & sublimi monte, Rom. Colonia à III. viris deducta, & prima inter XII. Hetruriæ ciuitates quæ fidem Christianam suscepit, auctore Romulo D. Petri discipulo, Ariana labe postea aspersa, à D. Iusto Africano presbytero rursus est expurgata, vexata à Vvandalis & Hunnis, ab Otthone I. instaurata & administrata eius nomine longo tempore fuit. Demū à Florētinis occupata. Patria Persij Poetæ & Lini Pontificis Rom. & Raphaelis scriptoris Anthropologiæ. Habet multas antiquas inscriptiones, quæ ab alijs collectæ & relatæ sunt.

CER-

CERTALDVM.

Oppidum Hetruriæ in colle situm, Ioan. Boccatij patria, alluitur à Dena fluuio, post hoc se offert castellum Florentinum, & Elsafluuius in Arnum labens, nec inde procul Arnus ponte lacericio superandus, cum tribus magnis fornicibus.

LABRO.

Vulgo *Liuorno* portus XVI. mill. à Pisis, cui adiunctum eiusdem nominis oppidum. Celebris quidem porrus, sed paucarum nauium capax & nondum profunde effossus Iure antiquitus Volaterrarum fuisse, Pisasque alium habuisse nunc destructum, recentiores scribunt: & accedit eo Ciceronis sententia ad Q. fratrem lib. 4 Epist. 3.

Ante eius portus ingressum turres quatuor in mari, tres à Maximiliano Imper. dificectæ, quarta iam renouata, & imposita ei custodia est. Arx in insula forma triangulari, & rebus necessarijs ad defensionem, militeque præsidiario instructa. Est è regione M. pasf. In scopulo

ſcopulo à continente alia turris, quam Pharum vocant, quæ nocturnum lumen præbet, ex inſulis finitimis nauigantibus. In portu vnaquæque nauis ſoluit tres coronatos, pro portu vnum, pro lumine alterum, pro tota acceſſione tertium. Decimo à Labrone milliar. Arni oſtiū eſt magnum & impetuoſum.

PISAE.

VRbs Hetruriæ antiqu. ſſ à Pelope Græco ante Troianum bellū condita. Numerantur autem ab interitu Troiæ vſque ad natum Chriſtum anni M CCVI. Primum Alphea dicta, inter Arnum & Iſarim ſita, loco plano, & Tyrrheni maris littori propemodum inſerta, frugum copia, ſaxorū operibus, ſerenitate & ſalubritate cæli clara, olim florens & felix, nunc infrequens & deſerta. Tantum pene hortorum quantum ædificiorum infra mœnia habens, Virorum fortium altrix, & Saracenis olim inimica, de quibus etiam victorias ſibi peperit, tantæ quoque potentiæ, vt centum familiæ centum naues roſtratas priuato ſūptu ædificarint, & ad bellum maritimum exornarint. Poſteaquā vero in Florentinorum poteſtatem venit

nit, & nobilitate & opibus est exhausta (Venit autē anno Christi M CCCCVI.) Pisani quib. belli fortuna pepercit, in ōnes Italię partes dispersi, multi in Neapolitana ditione, plurimi in Sicilia habitāt.

Arnus per ipsam vrbem fluit, & tribus pontibus eam iungit, quorum nomina sunt. Spinæ, fornicū quatuor: Vetus, fornicū triū: Maris, fornicū quinq;.

Gymnasium supra centesimum abhinc & quadragesimum quintum inchoatum, vnà cum vrbis fortuna collapsum & derelictum, instaurare cœpit Cosmus Medices, domo æd ficata & accersito Alciato & Currio. XL. item cameris extructis, in quibus Tusci adolescentes Florentinæ ditionis, sex annis fouentur liberaliter, perfectisq; studijs, ad Ducis arbitriū, gubernationi rerum publicarū vel secus, præficiuntur. Ordo eius œconomicus optimus, liberalitas Principis summa, subministrantis omnia necessaria ex decimis Ecclesiasticis, Pontifice Rom. concedente.

Bibliotheca apud Dominicanos satis bona, XXXII. pulp. & horologiū artificiosū sonans hymnū quendā. Post hoc monasteriū excellit eorū qui S. Antonij De Padua regulā sequuntur. In hac vrbe

Otho

Otho primus Imperator septem Germanorum familias constituit, quas & honoribus & facultatibus ornauit, Casæ martæ, Orlandi, Vicecomites, Cratana, Ripafracta Gusenarij, Dodi.

Templum cathedrale interioris ædificij magnificentia, inter tria illa Hetruriæ memoratum, cuius ambitus DXL. passuum est, tribus porris æneis, in quarum vna Historiæ sacræ, sed nullo artificio: quarta sublata & substituta lignea: maiori impositæ columnæ multę, quarum numerus in altum, quoniam ædificium contrahitur semper minuitur. Intus IV. columnarum ordines, in exterioribus duobus XX, in interioribus XVIII, cum pilis duabus magnis: deinde per transuersum in alijs ordinibus XXIV. ad chorum vsque; in quo aliæ octo sunt: igitur in vniuersum LXX. quibus supernè aliæ impositæ, sed multo minores sub ipsis fenestris, qua ratione etiam amplissimum quoque templum Romæ ædificatum. Pauimentum ex quadrato marmore circa chorum, & in ipso tessulatum, Septa chori marmorea & tabula ingens post altare: Item Baptisterium, cuius simile vix exrat in Europa, cum vase aquæ

quæ consecratæ &duobus pulpitis, Suggestus sustentatur columnis in orbem positis quatuor, quarum duæ solo, duæ Leonibus nituntur, inter quas aliæ quatuor sacris imaginibus; in medio virgo, cuius Basi, Philosophia Regina cum septem artibus liberalibus. Tabula templi vermiculato opere, cum quibusdam historiis: duo candelabra cristallina maximè perlucida. Cœmiterium mœnibus &porticibus clausum.

CAMPVS SANCTVS: (hoc nomine sepulturæ locum appellant)long. ped. CCCCLXXXVI. latus pedes CLX. fenestrę LVI: & in vna quauis colũnellę tres extremè tereres. media maior ceteris plus parte dimidia; ianuæ sex. pauimentum ex nigro alboque marmore, ordine sepulchrorum apto & mirabili. In pariete depictæ veteris nouique testamenti historię. In medio Campi, sub dio area herbosa, in qua aliquot antiqua sepulchra cernuntur. Dicitur *Sanctus*, propterea quod eius terra Hierosolymis sit transportata, mortuorumque cadauera vno naturali die contremantur.

Ante

Ante fores templi summi pulcerrimæ columnæ marmoreæ ad morem Hebræum exsculptæ, supra quas statua Dauidis posita cithara ludentis, per Pisanos victores Hierosolyma item asportata. Turris pendula & inclinata, habens octo columnarum ordines rotundos, quorum medij sex aperti sunt, & in vnoquoque columnæ triginta, infimus & supremus muro complexi, & in hoc columnæ XII. in illo X V I. ab ingressu ad secundum vsque ordinem gradus L I V. ad tertium X X XI. ad quartum & quintum X X X. ad sextum XXXII. ad septimum XXXVI. inde ad campanas X L I I. miro artificio exstructa Sunt autem magnæ campanæ sex, & duæ paruæ.

Hospitale reliquis vrbis ornamentis non cedit. nam & prouentus copiosos habet, & omnium infirmorum necessitatibus patet. Sacellum S. Ioannis Baptistæ rotundum & ingens quatuor portis, totidem ventis expositum; intra singulas portas fenestellæ sex, E quo baptisantur infantes, conceptus fons est, itidem ex marmore vario, basis quoque marmorea, cui ænea Baptistæ imago imposita. Pauimentū tale quale

templi

templi est maioris. Tectum ex plumbo, exteriori in parte arcus XX. vnusquisque pedum XIX. in latitudinem.

Palatium in quo optimates ciues habitarunt & ius dixerunt, ruinosum, & nunc à lictoribus & apparitoribus habitatum, cuius etiam pars cessit equili Ducis Florentini. Ante eius palatij ingressum hæc leguntur: *Receptis in deditionem Pisis, & quadrimestri trium castrorum obsidione, Antonius Fillichaca, Alamanus Saluiatus & Nicolaus Caponius communitatis Florent. cum exercitu vrbem ingressi sunt An. Domini M, D, IX. die VIII. Iunij.* Idem Alamanus primus Capitaneus Anno MCCCCIX. fuit hic celebratum concilium, in quo Gregor XII. & Benedictus XI. ab officio remoti sunt, & Alexander V. Cretensis electus, cui successit Iohannes XXIII. qui Concilio Constantiensi interfuit.

PISIS sepulcra visuntur Philippi Decij I.C & Matthæi Curtij medici excellentis, & Demetrij Cartusiani, Græci, Græco ac Latino carmine inscriptum,

LVCA.

VRBS HETRVRIÆ ornatissima, antiquitus Lucomodia atque etiam Aringa nominata, Romanorum colonia. Tota plana & collibus vndique circumdata, quadrato silice strata, spatio paruo, sed populosa, & negotiationum plena. Templis, ædificiisque magnifica & splendida, plurimos dominos exiguo tempore experta. A clipeis Lucensibus, quibus turres eius antiquitus ornatæ erant, dicta; suis legibus vtitur, & etiam libertatem à Cæsare Rudolpho pecunia emit. Administratur Oligarchia. Tributaria nunc Imperatori. Creantur aliquot viri, quorum Dominatus bimestris est. Præfectus vrbis de pœnis & suppliciis decernit, sed iudicium est penes C X X. viros, sine quorum, vel maximæ partis assensu, mortis nemo damnatur. Prope eam Anseris, vel Æsaris, vt alij, fluuius limosus nigrique coloris & lentus. Bibliotheca apud Franciscanos qualiscunque. Templum ornatissimum Sanctæ Crucis, pilis

ſiis ingentibus, choro pauimentoque marmóreo, in quo X II. vidimus candelabra argentea, & feneſtræ prope maximum altare, vitri ipſius colorem, quod varium eſt, ſolis radij percuſſi, per longum templi ſpatium diffundentes. Summum altare Diuo Martino ſacrum eſt, in quo crux aurea à PiſanaRepub. Lucenſibus oppignerata, & redempta nunquam: ea valere fertur X V. M. aureos coronatos. Iuxta portus eſt Lucenſis cum præſidio duarum turrium. Epitaphium Lucæ legas Caſtrucij, ſtrenui copiarum ducis Lucenſis.

PISTORIVM.

Vulgo *Pistoia* Græca voce, quasi terminus & clauis totius Galliæ Cisalpinæ, vel quod sit porta & ostium transcendendi Apenninum. Vrbs Hetruriæ intra Vmbronem & Stellam fluuios, in valle planissima sita, longa magis quam ampla; factionum parens, vindictæ cupidissima, & vt hostem prosequatur, honoris, opum, vitæ prodiga. A Florentinis Lucensium auxilio bellis diurnis & summa, difficultate subacti, euersis mœnibus & fossis impletis ac complanatis Prima etiam omnium quæ in Florentinorum, postea quam liberi facti sunt, peruenit potestatem. Arcem habet satis munitam. In templo S Iacobi, ara argenteis laminis & deauratis, cum lampadibus argenteis XX. Collegium ibidem tenuioribus constitutum qui bonis litteris dant operam, à Nicolao Fonreguerra Cardinale Theanensi Ex huius aliorumque prouentibus in vnum coactis, instauratum Pisanum Gymnasium.

In hac vrbe, vt scribit Platina, in Gregorio IX. primum omnium audita sunt factionum nomina ad perni-

ciem

niciem humani generis excogitata, Cancellariorum, & Panciaticorum, ex quibus (fertilissima enim est improbitas) pullularunt infinita mala, quæ exitio vniuersæ Italiæ fuerunt; de quibus multi Auctores varia scribunt. Hæc autem vrbs quasi fons est, ijsque adeò labefactata, vt sit misera & deserta modò. In alijs tantum nomina mutata, pro partium nobilitate & potentia: paucæ enim sunt quæ hac peste careant. Primi igitur

In Hetruria, Cãcellarij & Panciatieri
In Piceno Albi & Nigri.
In Latio Columnenses & Vrsini
In Insubribus Bractiani & Sforciani

Guelphij & Gibellini etiam Imperatorum familias exagitarunt. Sensit has furias aliquando Germania, sed non diu: in Italia extingui non potuerunt, nec extinguentur, propter gentis mores & naturam ad iniuriam inferendam facilem, ad deponendam grauem. Tanta autem illius pestis vis est, vt pueri etiam se aut harum aut illarum partium esse profiteantur, nec cognatorum sanguini parcant. Itaque in hanc diem cum alia loca, tum Pistoriensis

Ciuitas maxime cædib. recētib. madet.

In templo Humilitatis integrę cernuntur effigies Leonis x. & Clementis v I I. Pontif. Cosmi item primi & Alexandri Ducum Florentiæ, deuotionis causa, sicuti Florentiæ ad Annunciatam suspensæ.

Hospitale *del Zippo* splendidum, cum Pharmacopoleo.

In agro Pistoriensi Catilina superatus est ea parte qua Florentiam spectat. Est autem ea pars vallis lata, amœna, omni fructuum genere abundans, oppida, pagos, villas, casas, palatiaque, vti audiuimus in vniuersum habēs 4400. quod si parua magnis, horum temporum inopiam cum veteri copia conferre licet, sinui Baiano non absimilis esse videtur. Pistorii in æde summo sepulchrum esse dicitur Cyni magni I. C.

FLORENTIA.

Vulgo *Fiorenza* vel ob florentē fortunam, vel florida incolarū ingenia sic appellata, ac quod esset præfluente Arno opposita, olim *Fluentia* dicta. Ciuitas elegās, florens, potens, quippe quę anno M C C C X X X I X, nonaginta hominū millia recensuit, & in bellū Mediolanense decies centena sexaginta sex

aureo

aureorũ millia in ſex menſib. expendit ampla & plane regia à Syilanis militibus,xc. anno ante Chriſtũ natum condita,Romanorũ vt cõtendunt nonnulli Colonia,& à Triumuiris deducta. A Totila Gothorum Rege, vt ipſius Annales loquuntur,diruta,à Carolo *Magno* reparata & amplificata ex ruinis Pheſularum. Hetruriæ facile caput: factionibus, tumultu populari finitimorũ armis ſæpius agitata, æquali loco ſita, ſilice quadrato ſtrata, templis auguſta,ornata palatiis,ſplendidis plateis,negotiationibus diues,opibus ampla,victu moderata,veſtitu grauis,tota magnifica,freqnens & exculta. Viri in ea facundi,mulieres pulchræ,& ſermonis elegantia Hetruſcis ceteris præſtantes. Villæ ſuburbanæ magnificẽtiſſimæ & flos quaſi Italiæ,tot enim caſtella nobiliũ,tot monaſteria Religioſorũ,& tã frequẽtia municipia in circuitu,vt valli s omnis quæ à monte Pheſularũ in Piſtorieſem, agrũ extenditur, vna ciuitas videatur & aliquot millium caſarum cenſeatur,vt apud Piſtoriũ attigimus.

Per eã Arnus fluit,quatuor pontes habẽs,&tã rapidus,vt aduerſo amne non poſſit nauigari. Mœnia alluit Mumo Pheſularum amnis,

Hæc vrbs à Rudolpho Imperatore libertatem pecunia emit, & ad Rempublicam administandam XII. viros creauit, cum artium *Priore*, vt ipsi nominant, & *Iustitiæ vex illifero*. Rursus à Carolo V. adiuuante Clemente VII. Pontifice subacta est, & Clarif. Mediceæ familiæ, cùm filiam Margaritam Alexandro elocaret, concessa, cui nunc familiæ paret.

Bibliothecæ VI. Prima S. Laurentij quæ Medicea appellatur, in qua libri coaceruati quamplurimi asseruantur, priuatim doctorum vtilitatibus seruiente. Multi in ea Auctores præsertim Græci, qui excusi non sunt. Secunda S. Marci, Laurentij Medicis, & Nicolai de Nicolis liberalitate ac testamento instructa atque aucta. Vna Latina, in qua pulpita LXIII. in altera Græci, Hebræi, Armenici libri, pulpita XIV. aliquot item Theologorum Græcorum opera nondum excusa, vel expressa. Tertia S Benedicti, libros Latinos optimos habens pulpitorũ xxx. ei adiuncta itidem Græca, sed exigua. Quarta S. Crucis, à Sebastiano de Bucellis in litteris politioribus aucta, pulpitorũ L. & librorum DCCLXXXI.

tota

tota Latina, & sanè præclara. Quinta in domo Episcopi Latinorum Auctorum, pulpita XLIV. Sexta Mariæ Nouellæ, tota Latina, pulpita XLV.

Hospitalia sex: S. Mariæ nouæ, S. Mariæ annunciatæ,

S. Bonifacij, SS. Innocentium.

S. Matthæi, S. Pauli, quæ nominãtur propter magnificentiam: Minora enim alia sunt XXXIII.

Ecclesiæ Parochiales XLIII. Cœnobia tam virorum quam mulierum LXXVI. Collegia seu fraternitates puerorum IX. totidem virorum, vel etiam plura.

Palatia infinita. Campi octo, S. Crucis, S. Marci, S. Laurentij, Della Signoria, Del prato, S. Mariæ nouellæ, Mercato vecchio, Mercato nouo.

Templũ Cathedrale cognomento S. Mariæ Floridæ magnificentissimum, & inter tria Hetruriæ nominatum, foris incrustratum marmore albi, nigri, rufique coloris. Portæ à fronte tres sunt, ex quibus media sculpta, & ceteris ornatior est, supra tamen rudis; tum aliæ duæ ab vtroque latere, vna quatuor lata sacella habet, alterum

 alteri

alteri præminens, adeo vt in modum crucis facta videantur, in quibus illud miraculo simile, quod sua dispositione siut stabilia, nullis enimm pilis aut contignationibus sustentantur. Intus parum ornamentorum habet, & octo sunt pilæ ingentes in duobus ordinibus, Lithostratum partim marmoreum, partim latericium. Templum longum pedes CCXXX. Latū LXIII. amplum, DCXVIII. Circumferentia exterior DCCCX. Scribit Albertinus latitudinem CCCIV. pedum esse in parte crucis, corporis vero CXLVIII. longitudinem ped. CCCC. altitudinem CXL. Habet in superioribus fornicibus tres amplissimos ambitus, vsque ad primū, in quo & intus & extra ambulari potest, gradus CXLVIII. vsque ad secundum, Gradus XLIV. ad tertium totidem, ad quartum interiorem intra duos muros gradus XVIII. ad quintum qui & ipse interior sub ipso tecto, XLV. ad sextum LVIII. ad septimum, qui sub dio est, LIX. Sunt igitur in vniuersum gradus CCCCLVI. Inde per ferramenta in turri vtraque ex parte muro inserta gradus

XXXII.

XXXII. tum poſt alios gradus XIV. peruenitur ad ſuperiorem turris partem, cui globus æneus deauratus impoſitus eſt XVI. fortaſſe hominum capax, cuius hæc eſt inſcriptio:

TEMPORE BARTHOLOMAEI

CHIROGANI VBERTINI

OPERARII M. CCCLXV.

HVius operis tam admirabilis architectus fuit Philippus Brunelles Florentinus. Turris quadrata templo proxima marmore tota incruſtata, alta cub. CXLIV. pedes, vt ait Albertinus, CCLXXX. adſcenſus in ſummum per gradus CCCCVI. ex deſcriptione tecti in altitudinem tantam educta.

Sacellum S. Iohannis Baptiſtæ, opus vrbis antiquiſſimum, olim Marti dicatũ, nõ omnino rotundum, ſed potius ſexangulare, ex nigro, albo, viridique marmore. Extra pilas habet VI. quibus ſingulæ binæ columnæ interpoſitæ viridis marmoris, nigro aſſimilantis, vbi altare ſummum eſt, aliud eminet veluti ſacellum qua-

tuor laterum; portæ tres æneæ deauratæ præclari operis, cum Sacris historiis & imaginibus Sanctorum. Liminia item ænea, tectum marmoreum. Intus in orbem positæ columnæ XVI. totidemque pilæ, fenestræ XX. Septa chori ex nigro alboque marmore tessellata. Baptisterium, altaria, pauimentum ex marmore. Ad portam quę est è regione maioris Ecclesiæ, binæ columnæ Porphyreticæ, quas Pisani Florentinis parta de Sarracenis victoria honoris causa miserunt. Absente enim Pisano populo vrbs eorum contra Lucensium incursus virtute Florentinorum est defensa, vt scribit in Paschalis II. Pont. vita Platina. Alij alia de ijs fabulantur. Sunt ante idem templum imagines aliquot æneę, quarum vna Cœnobij Episcopi in eo loco, in quo olim vlmus arefacta frondes foliaque produxit, dum corpus eius ex S. Laurentij æde in Basilicam deferretur, Arcadio & Honorio imperantibus. Palatium Reipubl. (quod ante amissam libertatem tenebant optimates ciues,) nunc habitat Magnus Dux Hetruriæ, & in miram exornatur pulchritudinem, illa præsertim pars quam

vulgo

vulgo vocant *le Stanze nuoue.* In ea enim conclauia artificiosissime depicta & imagines quorumcumque clarorum virorumque in omni scientiarum genere nostro hoc seculo claruerunt.

SCARPARIA.

Oppidum in valle Mugellana inter mõtes, Fesulanos & Apenninum situm, à Florentinis destructo Actiano Castello, quod Vbaldinæ gentis fuit, sub Clemente V. conditum, plenum fabris ferrariis, Anno MDXII. die Iulij tertio, terræ motu quassatum, & labefactatum cum locis vicinis. Effluxit ex montibus fonticulus sulphur olens, sed diebus paucis exsiccatus, terræ motu cessante. Prope est Seba fluuius, qui per lapideum pontem transcundus est.

DE LAVDIBVS FLORENTIAE.

Bella quidem es: merito Florentia bella vocaris,

Italiæ exigerem si vitæ tempus in oris
Hetruscis peterem solum considere in aruis
Atque ego ni dulcis patriæ reuocarer amore,
Hanc cuperem fessæ portum requiemque senectæ.

In templo Beatæ Mariæ Reparatæ Synodus habita Florentina, in quà Græci ad concordiam cum Latinis adducti præsente, Imper. Cõst. & Patriarcha.

Hic sepulchrum Ioannis XXIV. PP. seu Balthasaris Cossæ. Ducum item Etruriæ Ioannes, Cosmi, Laurentij, & Pauli Iouij.

In æde Sancti Marci, Marsilij Ficini & Ioannis Pici Mirandulæ Comitis, sui sæculi Phœnicis:

IOANNES *iacet hic* MIRANDVLA. *Cætera nôrunt,*
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

Obijt anno CIↃCCCCXLIV. Vixit annos XXXIII.

Dantis

Dantis hic quoque Epitaphium legas, vt & Politiani.

POLITIANVS *in hoc tumulo iacet* ANGELVS, *vnum*
Qui caput, & linguas (res noua) tres habuit.

Obiit anno CIↄ.Iↄ.IX. Septemb. XXIV.

ANGELVS *hic clausit cineres varia arte Politus,*
Vt vix inueniat Ausonis ora parem.

B. Remigij Dominicani corpus in S. Maria nouella, & Io annis Boccatij elegantis Etrusci.

In S. Cruce cenotaphium Michaelis Angeli Bonaroti, summi architecti, pictoris ac sculptoris.

FLORENTIOLA.

Oppidum elegans & lautum in radicibus Apennini, ad amnem quendam situm, & à Florentinis conditum, quibus paret. Sunt qui velint olim *Fidentiam* dictam, & *Forentiola* pro Fidentiola nunc corrupte proferri. Ad D. pass. hinc Bononia aduentantibus ad læuam mons altus est, qui fumum emittit,

emittit, atque magnas etiam flammas, præsertim cum pluuia vehementior cadit.

BONONIA.

VRbs Æmiliæ ampla & populosa, vetusta Hetruscorum sedes, Romanorum Colonia, Antiquitus FELSINA, à Boiis *Boionia*, postea *Bononia* appellata sita in Apennini radicibus, tota Orienti exposita, cælo non admodum salubri, loco fertili & vberrimo, potens nobilitate, ædibus magnifica, frequens porticibus. Ad meridiem montibus vitiferis & fructiferis: ab Oriente Rheno amne, ab Occidente & Septentrione planicie omnis generis frugum ferace: vnde *felix* appellata. Nec procul ab ea est Sauenna fluuius, quem alij *Sapinam* nominant: Aposa torrens mediam vrbem interlabitur: Murorum pars ex lapide speculari fuit, qui in fundamentis creber adhuc reperitur. In circuitu VII. milliaria complectitur, portas habet XII. Turris altissima intra vrbem, *Asinella* vocatur, ad quam ascensus est per gradus ligneos CCCCXLVIII. & iuxta eam alia inchoata maior, & in vnam

in vnam partem pendula, adeo vt ciuitas speciem onerariæ nauis habere censeatur; hac scala, & aliis multis turribus funium formam repræsentante, illa vero mali instar emicante.

Gymnasium antiquum, quod excitauit hortatu Diui Petronij Theodosius Imperator, anno Christi 423. Imperatores ceteri auxere, Fridericus Barbarossa odio Bononiensium transtulit Patauium. Sed & Patauij hoc mansit, & Bononiæ sedes Musarum restituta est, atque à Carolo Magno Anno Christi 790. summisque Pontificibus adeo exornata, vt Bonarum artium parens semper sit habita, & à florentissimis studiis Bononia, quasi super *omnia bona* appellata. Est ibi collegium Hispanorum, in quo aluntur multi studiosi, & Rectorem ipsi creant, qui secundas à Gymnasij Rectore tenet. Est & alia Germanorum societas, qui singulis annis binos Procuratores, Consiliarios quatuor creant, suntque coniuncti superiores & inferiores Germani. Nomen quisque dat, seque iuramento obstringit, quod sit honori & commodis nationis consul-

fuiturus, Sacra & sepulchra certa habent, certas possessiones etiam, certos & statos conuentus. Rector Gymnasij ne minimum quidem in illos ius habet.

Bibliothecæ publicæ duæ, vna ad S. Saluatorem, pulpitis L. Hebraicis, Græcis, Latinisque libris instructa: Altera apud S. Dominicum, maior, sed non melior, in exteriore pulpita LXVI. in interiore XXXII. in qua plurimi libri IureConsultorum, & illa Pandectarum exemplaria quibus vsus est Gregorius Haloander Zuiccauiensis, item Archetypon Bibliorũ Esdræ in albo corio ab Esora scriba, tempore Cyri Anno 40. conscriptã, quæ Iudæi pro veris ex familiari, ac etiam notarum quarundam obseruatione tenent, atque etiam multæ Synagogæ approbant. Pontifex summus hæ eò deferri curauit.

Inter templa primum Diui Petri Episcopi sedes maximum D. Petronij Vrbis Patroni, cuius ædificij finem fore qui & mundi Leander Albertus credit, ornatissimum: S. Michaelis in monte, mirabilissimum: Sancti Francisci, splendidissimum, sacellis

Ben-

Bentiuogliorum præsertim: Eremitarum magnificentissimum; S. Saluatoris elegantissimum: Diui Ioannis Montani pulcerrimum: Sancti Dominici, in quo cum alia insignia, tum vel maxime chorus, & sacellum Sancti Dominici, in quo eius gesta tam mirifico opere sculpta sunt à fratre ordinis Germano Laico, vt non sculpta sed picta videantur. Ossa quoque ipsius in candidi marmoris tumba excellenti opere perfecta iacent, caput vero in tholo quodam ditissimo monstratur, cum vna ex spinis, de aculeata Sancti Saluatoris Christi corona. In chori ambitu sepulturæ exterarum nationum, Germanorũ, Cimbrorum, Anglorum, & aliorum. Vetustissimum Sancti Stephani, olim Isidi & Serapidi dicatum, & secundum quod ab vrbe condita est exstructum, cui & Iul. Cæsar sacellum adiecit, quod inscriptio vetus testatur, quæ sic habet: *Cæsare inchoante.*

Regitur nunc ciuitas a Legato Pontificio, cui adiunguntur X L. viri ex nobilitate, qui singulis duobus mensibus creantur, & appellantur Consules, vel *Confalonieri della Giustitia*

Ritia, qualicunque libertatis specie.

Bononia à Lothario Imper. vexata fuit aliquando, cum Venetiis bellis gestis, postea ciuili dissensione Ecclesiastici iuris facta, rursusque in libertatem se vindicans, eam non diu retinuit, & Bentiuolam gentem habuit dominos, sic magna semper varietate administrata. Multa vero præclara sunt eius ornamenta & decora. Curia Senatus elegantissima, & priuatæ domus ornatissimæ, & sumptuosissimæ.

Gymnasium vetus est ac celebre, inscriptiones habet varias, recentiumq; habituum insignia, veluti parietinam herbam, hederam.

EPITAPHIA

In templis insignium Iureconsultorum, qui in ea Academia ingenij gloria floruerunt

Ad Diui Francisci, Alexandri V. Pont. Max. Accursij, cum filio, Item Odofredi commentatoris,

Ludouici Buccafetrei & Hieronymi Gadij philosophorum.

In Sancto Petronio, tumulus est Philippi Beroaldi, hominis variæ eruditionis

Ad

Ad D. Dominici, Ludouici Bolognini I. C. qui Pandectas cum Florentinis collatas sodalibus testamenti tabulis rel quir,

Ioannis quoq; Andreæ & Ioan. Imolæ sepulcrum, ac Barthol. Saliceti, Mariani Socini, Item Antonij Flaminij, viri diserti.

Bulgari autem iuris interpretis est in æde S. Stephani monumentum, vt Azonis ad turrim S. Seruatij.

Bartoli Museum ostenditur ad Diuum Victorem in iugis Apennini.

In æde B Mariæ Montanæ effigies est Bessarionis Card. & Nic. Perotti Episcop. Sipontini, ad imaginem Virginis in cœlum assumptæ, ab illis dedicatum.

Leges hortorum venustæ in prædio Equitis de la Volta, vno lapide à Bononia.

Ænigma hic legitur, AELIA LAELIAE, &c. exercendi ingenij gratia, Estque in id Commentariolus Viti Angli I. C. Duacensis.

FERRARIA.

VULGO FERRARA, vrbs Æmyliæ præclara & populosa, nec inamœna, ad Padum, palustri, atque idcirco frugibus & viribus minus fœlici loco sita. Planitiem circa se habet maximam, sed sterilem & crassioris aeris.

De huius vrbis auctore non certum habemus. Nam ex antiquis Italiæ vrbibus non est, &, vt nonnulli opinantur, tempore Gothorum cum Venetiis initium sumpsit, & à ferro, quod Rauennati Ecclesiæ tributarium dedit, dicta *Ferraria*, quemadmodum *Aureola* & *Argenta*. Quanquam & hoc falsum Leander asserat, & à Ferrariolæ colonia, quæ trans Padum erat, sic appellatam fuisse existimet.

Muris autem circumdata fuit à Smaragdo Exarcho Imperatoris Mauritij, circa annum D X C V. Ab Estiensium Principum familia, quæ pridem rerum potita, nunc in Pontificum rediit potestatem, amplificata & munita egregie; plateis rectis, longis & amplis, quibus post Florentiam nullæ sunt pares, lapide vero integre strata

strata non est coque coctili; Ædificia non ampla, sed mediocria & splendida tamen. Arces in ea binæ, vna ad flumen, altera è regione S Georgii, quæ à Duce habitabatur, vtraque munitissima. Ante hanc statuæ equestres æneæ duæ Ducum veterum. Hortus Principis & domus ad delectationem facta, cum sylua, monte, & piscina, vulgo, *la Montagna.*

Bibliotheca apud Carmelitas, in qua magna antiquorum librorum copia, viginti pulpita, & sex in pariete, multi etiam libri in cistis inclusi. Quemadmodum iuxta hanc alia est ædificata noua.

Gymnasium habet florens Iurisperitorum apud S. Franciscum; Medicorum, apud S. Dominicum; Philosophorum Artistarum apud S. Georgium Institutum hoc est à Friderco II. Imp. in contemptum Bononiensis Academiæ, & renouatum ab Estensi familia præclare, in quo multi viri excellentes claruerunt semper.

Anno MCCCCXXXVIII. Eugenius IV. Pontifex hic Concilium celebrauit, cui Græcor. Imperator Iohannes Palæologus, & Iosephus Patriarcha

triarcha Constantinopol. qui sequente anno Florentiæ obiit, interfuere: Ea Synodus Anno MCCCC XXXVIII. Florentiam translata est, peste Ferrariæ grassante: vbi de ea est inscriptio.

Asylum etiam in vrbe ab Hercule Duce constitutum. Extra vrbem vltra Padum insula est Calopsis, vulgo *il Beluedere*, quinque mill, spacia continens, angusta & in longum protensa, cuius secessu maxime delectatus fuit Dux Alphonsus. In ea rota est, qua aqua extrahitur in vas æneum, & inde in omnes partes domus deriuatur, Balneum cum ponte, per quem incautius ambulantes in aquam decidunt. Fonticulus, sylua arboribus in quincuncem dispositis, hortus, vinea, ambulatio; alia sylua feris dicata. Videas ibi asinos Sardos corpore minimos, sed nostris valentiores: itidem gallinas Indicas, & alia animalia rara multa.

Sed de hac vrbe quidquid dici potest, id multis in locis elegantissimis versibus scripserunt Titus & Hercules Strozzæ: & Nicolaus Reusnerus. Parentum memoria grauiter concussa est terræ motu, & miserè bidui spatio deuastata. Anno videlicet MDLXX.

M D L X X. & intra X L. horas CLX. terræ motus perpessa, ædibus sacris, publicis & priuatis plane concidentibus, ex quo vasta facta est, quæ alias erat frequentissima Hic Epitaphium in cathedrali templo, Vrbani Papæ III. Lilij Gregorij Giraldi & in æde S. Stephani, B. Leonis Papæ corpus repertum.

Apud Dominicanos Bibliotheca Cælij Calcagnini, &c. Nic. Leoniceni Vicētini, Francisci Sacrati.

Apud Carmelitas Lud. Ariosti Poetę Epitaphium versibus legitur. Prosa vero Ioannis Manardi medici excellentis: & Iacobi Aluarocci Iurisconsulti: & Ioannis Blondi Flauij f.

In æde S. Pauli sepulchrum Ioann. Bapt. Sacrati I. C. & ad D. Francisci Æneæ Vici Parmensis Antiquarij insignis: & M. Antonij Antimachi hominis Græce doctissimi.

In æde fratrum de Rosa conditus Bartholomæus Riccius eloquentiæ deditus.

GAROPHOLVM.

PADI traiectus, qui fluuius à Græcis *Eridanus*, à Liguribus *Bondingus*, quasi vado carens dictus est, triginta

auctus amnibus, feptem oftijs in mare Adriaticum defertur, cafu Phaetontis Græcis Latinifque poetis celebratus. Aurum & electrum vehere dicitur circa fontem Piceas, in reliqua ripa populos arbores nutrit. De quo multa Plinius libro 3 cap. 16. Oftia, inter Clugias, & Rauennam hæc funt.

1. Brundulum, vulgo *Brondolo*, quod fit concurfu Padi, Athefis, & Tigofoni fluuiorum
2. Philiftinæ foffæ, quod nunc *Foffanà* dicitur, quidam effe Athefis tractum volunt.
3. Fornaces fortaffe Carbonariæ. Plinius,
4. Gorum.
5. Volane olim Olane
6. Caprafiæ, vulgo *Mangia vacca*.
7. Spineticum, vulgo *Premiera*, à Spina vrbe quæ prope fuit, Per hoc Claudius Cæfar naui maxima de Britannis Triumphans, mare Adriaticum eft ingreffus.

RHODIGIVM.

OPpidum, Venetiarum, vulgo *Rouigo* loco fertiliffimo fitum, & ab Athefi in infulæ modum circumdatum. Ludouici Cælij qui Lectiones antiquas fcrip-

ſcripſit & Bartholomæi Rouorellæ Archiepiſcopi Rauennatis natalibus celebrius, & nunc Antonij Riccoboni Rhetoris Patauini.

PATAVIVM.

VVlgo *Padua*, Venetorum ciuitas ab Antenore Troiano condita. Nomē neque à voce auium vt nonnulli opinātur, videtur habere, neque à Pado fluuio, quoniam ab eo plurimum diſtat. Olim populoſa adeo, vt CXX. millia armatorū emiſiſſe feratur. Floruit maximè nobilitate, & cenſos in ea quingentos Equeſtris ordinis viros, Leander Albertus refert, ciuiumq; XLV. Mill. Sita loco fertili & plano, triplici circumdata muro, Cœli clementia, bonitate, Euganeorum montium amœnitate, Alpium mariſque vicinitate, fluminum in omnes partes nauigabilium oportunitate, foſſæ amplitudine, murorum & propugnaculorum firmitate & copia, loci quoque ipſius ſpacio, omnium finitimorum facilē princeps. Poſt lapſum Romani Imperij, primum ab Attila Gothorum Duce incenſa, à Narſete deinde inſtaurata, cremata iterum à Longobardis, & ab Ecelino Tyranno viris & faculta-

O 2 tibus

tibus exhausta, & misere affli cta fuit. Tandem in Carrariorum potestatem deuenit, qui ea plus minus centum annis potiti sunt. Nunc ab anno MCCCCVI. Venetis paret. Circuitus eius est VII. milliarium. Extra mœnia nulla arbor, nullus collis, qui hosti commodus & vrbi aduersus esset. Anno enim MDXIX. tria millia domorum, X. monasteria, VI, templa, & VII. Xenodochia quæ in suburbiis connumerabantur, à Venetis diruta sunt, ne ex ijs ciuitati, bello Maximiliani I. contra Rempub. gesto, damnum inferri posset. Maior enim ciuium pars lanificio dedita est, propter lanæ Euganeæ copiam, & præstantiam, Vberrimis Cartariensis collegium quoque lanificium amplissimum donauit priuilegijs Bibliotheca Græcis & Latinis libris instructa, apud Sanctum Ioannem in viridario, altera apud Sanctam Iustinam, tertia apud S. Antonium, cuius etiam templum ornatissimum, præsertim chorus & sacellum, propter sculpturas ex marmore. Sanctæ Iustinæ, olim Marti dicitur factum fuisse. Id de nouo ædificatum in insignem pulchritudinem

nem & magnitudinem, adeo vt ambitus eius mille contineat passus, in cuius etiam fundamentis sepulchrum *Titi Liuij*, cum antiquis inscriptionibus, inuentum. Sancti Augustini templum Principum Carrariensium sepulturis insigne est.

Monasteria Monachorum viginti tria, vtpote, cœnobium D. Iustinæ, Prateolæ, Ioannis in viridario, Sanctæ Mariæ Angelorum, Diui Hieronymi, Cruciferorum, Heremitarum, Antonij Viennensis, D. Benedicti, D. Augustini, S. Mariæ in Vantio, Sanctæ Mariæ Gratiarum, Capucinorum, Diui Antonij, Diui Francisci, Eremitarum S. Mariæ Magdalenæ, Carmelitarum, Diui Pauli, Mariæ seruorum, Iesuatorum, S. Francisci paruuli: Sancti Saluatoris & fratrum Alemanorum, nunc sacerdotum Societatis Iesu.

Cœnobia Virginum XVIII. Parochiales deinde XVI. Xenodochia IV. Ædes præterea Illuminatarum, Pupillorum, Orphanorum, & Exposititiorũ: itidem Camera pauperum in Episcopali palatio, Mons Pietatis, & Collegia Laicorum XXVIII.

Extra mœnia in territorio templa & cœnobia aliquot, magnis opibus & præclaris ædificiis ornata; inprimis cœnobium B. Mariæ montis Ortoni: Danielis in monte: Ioannis Baptistæ: Montis Vendæ: Riperiæ: Rhuæ: Mariæ carcerum: Michaelis Candianæ: Carthusiensium: Lazareta duo.

Portæ vrbis septem, Coalonga, Portello, Liuiana, Sanctæ Crucis, Sarrasinesca: Sancti Ioannis, & Sauanorola.

Palatium vrbis, quod ab Henrico Imperatore cum Ecclesia Cathedrali structum est, in quo ius dicitur, tota Italia nominatissimum, nullis columnis fultum, nulla contignatione sustentatum, ornatum picturis, tectoque plumbeo. Huic adiunctæ ædes Prætoriæ, populari tumultu atque incendio dirutæ ac consumptæ, atque instaurari cœptæ. Domus Præfecti olim Carrariensium Principum sedes, cum ceteris rebus magnifica, tum conclaui quodam picto, cum Romanorum historijs virisque doctis, quos Patauium habuit: præcipuè vero horologio, in quo Lunæ signorumque cœlestium secundum anni cursum mirifica descriptio.

Fora maxima quinque:primum congressibus & deambulationi Nobilitatis ac ciuium dicatum, alterum olitorium tertium frumentarium, quartum lignarium, postremum paleariurn. Porticus amplissimæ, areæ spaciosissimæ, ædes Nobilium ita splendidæ, vt plurimum honestatis & antiquæ frugilitatis præ se ferant.

Inter omnia autem vrbis decora est illustre Gymnasium Friderici. Barbarossæ Germani Imperatoris auspicijs felicissimè excitatum an. 1178 quo nullum studijs propter quietem aptius, nullum in Italia magis frequentatum, nullum denique quod magis floruerit ingenijs, & in omni litterarum artiumque varietate doctissimis viris. Alioquin collegia ad sustentandam inopiam studentium multa sunt: Foro Iuliensium, Feltrẽsium, Spinellium, Riddium, Campionis, Neapolitanum, Brixianorũ, Græcũ, & Rauẽnate philologi.

Hortus Sphæricus Francisci Bonæ fidei, & alia ædificia insignia.

Per vrbem fluit Medoacus, vulgo *la Brenta*, qui etiam interiora & antiqua mœnia abluit, & non longè à Patauinis muris amne, Bacilione è Vicentinis mõtibus orto augetur. Eius

affluxu & commoditate vna die, vel nocte commodissime nauigio Venetias itur & reditur; paludes tamen incipiunt ad catatactas, vbi salsa & marina aqua à fluuiali dispescitur. Arcem habet vetustam magis quam ornatam.

De laudibus,situ,antiquitate,& statu totius vrbis, nec non viris & familijs præclaris ex ea ortis, in eaque sepultis ceterisque omnibus scripsit iustum volumen Bernardinus Scardeonius, Canonicus Patauinus.& nuper Antonius Riccobonus,Rhodiginus ,Rhetor Patauinus.

Inscriptiones recentes præsertim Iureconsultorum,qui ibi doctrina floruerunt collegit idem Bernardinus, & nuper Laurentius Schradæus lib.1.Monumentorum Italiæ.Insignium maxime virorum nomina asscr bere non pigebit,vt viator ipse inspiciat,describatque

Francisci Zabarelli Card.

Pilei Pratæ Card.

Henrici Regis Batavi,& Bertæ coniugis,qui Ecclesiam S. Stephani dotarunt

IN-

INSCRIPTIONES & Epitaphia Selecta PATAVII.

In Palatio Prætorio.

STatuæ & Elogia clarorum ingenio Patauinorum.
T. LIVII historici.
PAVLI Iureconsulti.
C. VALERII FLACCI, & L. ASINII STELLAE poetarum.
Q. ASCONII Pediani, interpretis Ciceronis.
PETRI APONI, Medici ac Philosophi.

Antiquæ inscriptiones, Pauli Æmilij in Episcopali æde, & duæ in Torquati Bembi.

Aræ vetus dedicatio elegans in porta S. Benedicti, cum imaginibus And. Naugerij & Hieron. Fracastorij, qui eam collocauerant.

Elogia Franc. Petrarchæ, & Dantis Aligerij in monte Oronis monasterio iuxta Aponi balnea.

EPITAPHIA IN ÆDE *Cathedrali.*

Raphaelis Fulgosi I. C.
Ioann. Pierij Valeriani.
Faloppij Medici.
Erasmi Delphi Antuerpiensis, Græcè.
Ioann. DrinckWart Batani, carmine.
S. Antonini de Padua.
Pauli de Castro I. C. in æde Seruorum B. Mariæ.
Lazari Bonamici, Eloquentiæ professoris, in æde S. Ioannis Præcursoris. Ibidem
Calpurnij Brixiani, & aliorum doctorum.
Ioann. Verlani Dordraceni, Batauiad Diui Francisci Christophori Longolij Belgæ & Leonici Tomæi Vicentini.
In æde Augustinianorum, Pauli Veneti, Theologi, & M. Mantuæ Bonauidæ

nauidæ I. C.
Iacobi Fabri Stapulensis hoc Batauij in æde summa legitur Epitaphium.

Corpus humo, mentem superis, bona cetera linquo

Pauperibus, FABER, *dum moriebar, eram.*

TRIDENTVM

VRbs Rhetiæ primæ Archiducum Austriæ, à Gallis condita, intra montes in profundissima valle sita, ad ripam Athesis, spatio non magna sed pulcra; Italis Germanisque mixtim habitata, Domos habet humiles, & ab Episcopo regitur, sub Imperio Romano, ad Germaniam & Comitatum Tyrolensem adhuc spectãs. Arx in ea pulcerrima, à Bernardo Clesio Cardinale, ad ornatum magis & splendorem, quam ad tuendam vrbem ædificata, in qua varia conclauia, ex quibus in superiori parte.

I. Cum tabula Stabij in qua expressa genealogia Cæsaris Maximiliani, &, insignia antiquorum ex solido vnico-

que marmore supra caminum.

II, Rotundum, cum tabulatis & insigni fornace.

III. Cum pauimento marmoreo, cui adiunctum Museum in quo depictæ sacræ historiæ.

IV. Cum tabulatis: in eo Imagines Ferdinandi Regis & vxoris, & regiorũ liberorum, Episcopi Tridentini, & Pauli Morionis

V. Habet pauimentum fictile.

VI, Tabulatum in quo fornax & speculum insignia.

VII. Ceteris amplius cum picturis. In eodem Mirandula arx ex ligno facta, magno artificio,

VIII, in quo picturæ venantium & saltantium.

In inferiori.

IX. Sacellum in quo sacra fiunt.

X. Cœnaculum.

XI. Cum mẽsa cupressina, opere vermiculato, in quo aliquot Imperatorum veterum, & hæ doctorum imagines.

Apollodorus.	Grammatica
Gorgias.	Rhetorica
Chrysippus.	Dialectica

Bero-

Berofus & Atlas. Aftrologia.
Amphion. Mufica.
XII. In quo Caroli Imperatoris, Ferdinandi Regis, Clefij Card. imagines
XIII. Fornax ex fictili materia cum viro & muliere, puero, puella, ex quo emitti calida aqua poteft.
XIV. In quo aulæa & alia ornamenta quibus ad inftruenda cetera vtuntur.
XV. Hortus cum fonte, in quo vrbium, virorum, animalium, locorum rationes expreffæ; quæ ab aqua cum admiratione intuentium moueri poffunt.

Labrum in quo Apollo æneus Daphnen perfequens, & Actæon in ceruum mutatus; ab vtraque parte leones qui ita facti quafi ex labro biberent.

Hic templum cathedrale vt vocant, S. Vigilij martyris & Epifcopi Tridentini, cuius facra pro religione Chriftiana fcripta circumferuntur. Hic & Epitaphium Bernardini Clefij Card.

Ad S. Marcum tumulus eft Fr. Ieronymi Seripandi Cardinalis, Concilij ibidem habiti Legati.

Notum oppidum Concilio generali parentum memoria ibidem coacto &

in templo egregiè depicto; quod inchoatum est sub Paulo III. anno reparatæ salutis CIↃ IↃ. XLV. finitumque duode-vicesimo post anno, CIↃ. IↃ. LXIII. sub Paulo IV. Errores in Europa exorti damnati sunt, hæreses refutatæ, hæreticorumque audacia refrenata, extinctaque foret, si tota eius Decreta Europa seruasset. Mores denique corrupti disciplina Ecclesiastica castigata sunt, & instaurati.

IOCA SERIA ET AENIGMATA

Iter agentibus accommodata.

IOCA *Ex Macrobii Saturn. lib. II. cap. 3.*

POst Mutinensem fugam nonnullis rogantibus, quid ageret Antonius, dixit quidam familiaris, *Quod canis in Ægypto, fugit & bibit.*

2. Publius vbi Mutium inprimis maleuolum solito tristiorem vidisset; *Aut Mutio*, inquit, *nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.*

CICERONIS *dicteria.*

3. Laberius Mimus in senatum à Cæsare lectus, cum à Cicerone ad consessum non reciperetur, dicente: *Reciperē te nisi anguste sederemus*; nimis mordaciter respondit: *Atqui solebas duabus sellis sedere.* Obiiciens tanto viro lubricum fidei, sed id quod Cicero dixit: *nisi anguste sederemus*, scomma erat in Cæsarem, qui in senatum tum multos admittebat, vt eos quatuordecim gradus capere non possent.

In consulatum Seruilij.

4 M. Voltacilius Pitholaus, quum Seruilius duos tantum dies consul fuisset, *Ante flamines*, inquit, *nunc consules diales fiunt.*

In Lentulum.

5 M. Cicero cum Lentulum generum suum exiguæ staturæ hominem longo gladio accinctum vidisset, *Quis*, inquit, *generum meum alligauit gladio?*

In Quintum Tullium fratrem.

6 Quum in Asia, quam rexerat ille, Cicero vidisset clypeatam fratris imaginem, ingentibus lineamentis vsque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus staturæ paruæ) *Frater meus*, ait, *dimidio maior est, quam toto.* Respexit ad Prouerb. illud: *dimidium plus toto.*

In consulatum Vatinij.

7 In Consulatum Vatinii, quem paucis diebus gessit, sic Cicero iocatur, *Magnum*, ait, *ostentum anno Vatinij factum, quod illo consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autũnus fuit.* Querenti deinde Vatinio quod grauatus esset

esset domum ad se ægrotantem venire, respondit: *Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit.* Eiusdem est illud: *Vigilantissimus est noster Consul, qui in Cõsulatu suo somnũ oculis non vidit:* de Caninii Rebilii vnius diei Consulatu: quem locum Macrobii biscastigat Paulus Leopardus Miscellan. lib. II. cap. XVII. & XVIII. Dion lib. 43.

Ioca Augusti Cæs.

Ex Macrobij lib. II. *Saturn. cap.* IIII.

8. Aiacem Tragœdiam ipse scripserat, eandemque, quod sibi displicuisset, deleuit. Postea Lucius Irius grauis scriptor Tragœdiarum, rogabat cum quid ageret Aiax suus, & ille: *In spongiam,* inquit, *incubuit.* Alludens ad Aiacis necem gladio incumbentis, in furore, ad Troiam. vide Sueton. in August. cap 43

9. Quendam Præfectura equitũ summotum & insuper salarium postulantem, dicentẽq;, *non lucri causa dari mihi hos rogo, sed vt iudicio tuo munus videar impetrasse, & ita officium deposuisse,* hoc dicto Augustus repercussit.

Tute

Tute accepisse apud omnes affirma, & ego dedisse me non negabo.

10 Galbæ cui informe gibbo corpus erat, agenti apud se causam, & frequenter dicenti: *Corrige in me si quid reprehendis.* Ego te, inquit, *monere possum, non corrigere.*

11. Exceptus à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana, post epulum inops ac sine vllo apparatu discedens valedicenti hoc tantum insusurrauit; *Non putabam me tibi tam familiarem.*

12. Vatinio in prima sua ætate eleganter insultauit. Confusus ille podagræ, volebat tamen videri vitium discussisse, & mille passus ambulare se gloriabatur; cui Aug. Cæsar: *Non miror,* inquit, *dies aliquanto sunt longiores.*

Eiusdem in filiam.

13. Iulia mature canos habere cœperat, quos legere secreto solebat. Subitus interuentus patris aliquando oppressit ornatrices. dissimulauit Augustus, deprehensis super vestem earum canis, & aliis sermonibus tempore extracto, induxit ætatis mentionem, interrogauitque filiam, *vtrum post*

post aliquot annos cana esse mallet an calua, cumque respondisset, *ego pater cana esse malo*, sic illi mendacium obiecit, *quid ergo istæ te caluam tam cito faciunt?*

Caselij dictum in Vatinium.

14. Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatorum munus ederet, obtinuerat vt ædiles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum misisse vellet, fortè his diebus Cascelius consultus à quodam an nux picea pomum esset, *si in Vatinium*, inquit, *missurus es, pomum est.*

Eiusdem.

15. Mercatori quemadmodum nauem cum socio diuideret interroganti, *Nauem*, inquit, *si diuidis, nec tu nec socius habebis.*

Lælij dictum in Galbam.

16 In Galbam eloquentem sed deformem sic lusit Lælius. *Ingenium Galbæ male habitat.*

Ex Fabio Quintiliano lib. 6. ca. 2. Institut. Oratoriar.

Ciceronis in Hortensium.

17. Cum Ciceroni tectè in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius: *Non intelligo hæc ænigmata: atqui debes*, inquit, *cum sphingem domi habeas*. Acceperat autem à Verre Sphingem æneam magnæ pecuniç.

18. Demosthenes à Legatis Milesiorum pecunia corruptus, vt in curia postridie contra horum postulata nihil diceret, prodiit in concionem fingens se laborare anginęmorbo, atq; ideo loqui non posse. Tum è turba quispiam, cui morbi simulatio subolebat, exclamasse fertur: *Non anginam pateris, ô Demosthenes, sed argentanginam*. A. Gellius lib. xi. Noctium Attic. ca. 9.

Ex Suetonio Tranquillo.

Vespasiani Imp. iocus.

19. Mestrium *Florum* Consularem, admonitus ab eo *plaustra* potius quam *plo-*

plostra dicendum, postridie *Flaurum* salutauit.

Eiusdem.

20. Reprehendenti filio Tito, cur etiam vrinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur, & illo negante, *atqui*, inquit, *è lotio est*. Iuuenalis: *Lucri bonus est odor ex re Qualibet.*

Ex libr. secundo M. Tullij Cic. de Oratore ad Q. Fratrem.

21. Sp. Caruilio grauiter claudicanti ex vulnere ob Remp. accepto, & ob eã caussam verecundanti in publicum prodire, mater dixit: *Quin prodis mi Spuri? vt quotiescunque gradum facis, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem.*

22. Ridicule L. Porcius Nasica Censori Catoni, cum ille: *Ex animi tui sententia tu vxorem habes? Non hercule*, inquit, *ex animi tui sententia.*

23. Crassum apud M. Perpennam pro

Acule-

Aculeone dicentem odiose L. Lamia Heluius deformius interpellauit: *Audiamus*, inquit Crassus, *pulchellum puerum*. Cum esset arrisum, *Non potui*, inquit Lamia, *mihi formam ipse fingere, ingenium potui*. Tum hic, *Audiamus*, inquit, *disertum*.

24. Scæuola Septumuleio (cui pro Gracchi capite erat aurum repensum) roganti se vt in Asiam Præfectum duceret: *Quid tibi vis*, inquit, *insane? Tanta malorum est multitudo ciuium, vt tibi ego hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.*

25. Nasica cum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, & illum intus esse: paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica, *Homo es impudens: ego cum te quærerem ancillæ tuæ credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

Cum

26 Cum C. Fabricio P. Cornelius homo auarus & furax, sed egregius Imperator gratias ageret quod se inimicus Consulem fecisset bello tã graui: *Nihil est quod mihi gratias agas*, ait, *si malui compilari quam venire*.

RECENTIORVM.

ACTIVS Syncerus Sannazarius rari poeta ingenij, & admodum ipse facetus, cum in conspectu Friderici Regis Neapolitani esset quæstio, Quid potissimum oculis conduceret, aliis fœniculum dicentibus, aliis chelidoniam aut rutam, aliis aliud: Inuidiam, inquit, aio. Mirantibus aliis vel ridentibus, ait: quia Inuidia maiora omnia videri facit: Ouidii illud continuo proferens:

Fertilior seges est alieno semper in agro,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

DAN-

DANTES Florentinus cum Senis exsularet, cogitabundus mensæ cubito innixus nescio quid secreti scrutando, accessit quid petens importunus quidam. Tum Dantes: *Dic mihi*, inquit, *quæ maxima omnium bellua?* At ille respondit, *Elephas*. Cui Dantes: *Elephas, sine me maiora verbis tuis cogitantem*. Noli esse molestus.

Iuuenis nobilis haud magnæ prudentiæ amico narrauit, peragrandi Orbis vniuersitatē cupiditate, mille se florenos velle expenderet, vt quantus esset nosceretur. Tum alter cui probe notus erat, *Satius est*, inquit, *duo millia expendas, & des operam ne agnoscaris. Vel vt ipse te noris.* Iuxta illud Delphicum oraculum, quod è cælo descendit: γνῶθι σεαυτὸν: *Nosce teipsum.*

ADMONITIO.

LAVDANTVR sane in familiari sermone sales, sed vrbani; & ioca, atque dicteria, sed felle ac dente carentia, ne qua hinc acerbitas in auditorum animis suboriatur. Auersantur enim probi omnes conuitiandi aut calumniandi audaciam, Christiano homine indignam. Et vere magno se scelere obstringit, qui de aliorum fama detrahit, & quantum alijs demit, tantum sibi falsa opinione arrogat. Cuique enim, vt sapiēs ait, melius est bona existimatio (quā arrodere dente Theonino nefas est) quam diuitiæ & opes. Paulus quoque vas electionis, cum detractionē, tum etiam illiberales, impudicos ac scurriles iocos adhibere vetat. Sic enim Ephesiis cap. II. *Fornicatio, & omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurri-*

ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum Actio. Qui & paulo ante cap. 4. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiā audientibus*. Coloſſenſib. item 4. cap. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere*. & Prouerbiorum 10 *In multiloquio non deerit peccatum. Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt*. Alioquin *Vrbanitas* tāquam ſal quo ſermo condiatur, tantum abeſt vt reprehenſione digna ſit, vt laudem etiam magnam mereatur; de qua & Philoſophorum filij & rhetorum præcepta tradiderunt. Et hac ſibi quoque virtute mirifice Cicero, eloquentiæ Romanæ parēs, placuit, qui & libr. 2. de Oratore, Romanorum ſalſe dicta collegit, & poſt eum Fabius libr. 6. Plutar. in eius vita. Macrobius libr. 11. Saturnaliorū, & in Controuerſijs Seneca.

Ariſto

Ariſtoteles quoque Peripateticæ Scholæ princeps ἐυτραπελίαν (ſic enim virtutem eam nominat) in Ethicis Nicomachiis, eumque ſecutus D. Thomas Aquinas commendarunt: modo ea, vt diximus moderatio adhibeatur, vt nequid acerbè in aliquem iactes; & ſemper honeſtatis ac verecundiæ in loquendo ratio habeatur, ac decoris, præſertim apud virgines, teneraſque puerorum aures. Quod Iuuenalis Satyricus ſuadet Satyra 14.

Maxima debetur puero reuerentia. Si
quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

ÆNIGMATA ET GRIPHI EX SYMPHOSIO Et ALTHELMO.

Clauis.

Virtutes magnas locupletibus offero, parua:
Pando domus clausas, iterum sed claudo patentes,
Seruo domum domino, sed rursus seruor ab ipso.

Vulpes.

Exiguum corpus, sed cor mihi corpore maius:
Sum versuta dolis, arguto callida sensu,
Et fera sum sapiens, talis fera si qua vocetur.

Fumus.

Sunt mihi sunt lacrymæ, sed non est causa doloris:

Est

Est iter ad cælum, sed me grauis impedit auer:
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

Testudo.

Porto domum mecum semper migrare parata,
Mutatoq; solo nō sum miserabilis exul.
Nā mihi consiliū de cælo nascitur ipso.

Grus.

Littera sum cæli pennas perscripta volantes:
Bella cruenta gerens, volucris discrimina martis.
Nec vereor pugnos, dum non sit longior (hostis.

Ericius.

Plena domus spinis, parui sed corporis hospes:
Incolumi dorso telis confixus acutis,
Sustinet armatas segetes. Calitator inermis.

Mula.

Dißimilis matri, patri diuersa figura,

Confusi generis, generi nō apta propago
Ex aliis nascor, nec quidquam nascitur ex me.

Beta.

Beta vocor Græcis, sed non sum Beta Latinis:
Pauperibus semper proponor. nāque tabernis.
In terris nascor, lympha lauor, vngor oliuo.

Talpa.

Mordeo mordentes, vltro non mordeo quenquam,
Sed sunt mordentē multi mordere parati.
Nemo timet morsum, dentes quia non habet vllos.

Farina.

Inter saxa fui, quæ me contrita premebant.
Vix tamen effugi totis collisa medullis.
Et nunc forma mihi minor est, sed copia maior.

Pila.

Pila.

Non sum cincta comis vllis, nec crinibus ornor.
Intus enim mihi sunt crines, quos non videt vllus.
Meque manus mittunt manibusq; remittor in auras.

Spongia.

Ipsa grauis non sum, sed aquæ mihi pondus inhæret
Viscera tota tument, patulis diffusa cauernis
Intus lympha latet, sed non se sponte refundit.

EX ALTHELMO DE NVBE.

VErsicolor fugiens cœlum terramque relinquo,
Non tellure locus mihi, non in parte polorum est,
Exiliū nullus modo tā crudele veretur,
Sed madidis mundum facio frōdescere guttis.

Salamandra.

Ignibus in medijs viuens, non sentio flammas (faxo:
Sed detrimenta rogi penitus ludibria
Nec crepitante foco, nec scintillãte favilla, (pescunt
Ardeo, sed flammæ flagranti rore te-

Myrmicolon.

Dudum cõpositis ego nomen gesto figuris
Vt leo sic formica vocor sermõe pelasgo,
Tropica nominibus signans præsagia dulcis
Cum rostris auium nequeam resistere rostro,
Scrutetur sapiens gemino cur nomine fingar.

Gallus gallinaceus.

Garrulus in tenebris rutilos cecinisse solebam
Augustæ lucis radios, & lumina phœbi
Remiger exspecto, populorum nomina fungor:
Armiferens pedibus, belli discrimine faxo,
Serratas capitis gestãs in vertice cristas

QVA-

QVALIA ITER AGENTVM COLLOQVIA,

Honesta, ac læta, non impia sint, CONSILIVM.

SACRAE Litteræ, & Paulus inprimis ac Petrus Ecclesiæ post CHRISTVM (qui de omni otioso sermone exiget in Iudicio rationem, Matth. 5. 27. & 12. 36.) ab omni stulto sermone & detractione deterrent, Ephes. 4. 29. & 5. 3. Coloss. 3. 8. 1. Petr. 1. 10. Aduersus vero murmurantes, Rom. 1. v. 30. 2. Corinth. 12. 20. 1. Petr. 2. 1. & 12. Et Iacobus ca. 4. v. 11. *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, detrahit legi, & iudicat legem.*

Igitur ad euitandas per viam detractiones de fama proximi, aut de 1. Principum existimatione: ad ansam 2. præcidẽdã de scurrilibus, præ nugis, 3. ineptijs,

ineptiis, quæque ad rem nihil pertinent, agendi; ad tollendā occasionem conuicia iaciendi in clerum, monachos, Iesuitas, Canonicos & Episcopos: Suadeo in Domino, Prudentiam adhibere spiritalem, vt ne iurgia, calumniæ, conuicia, & odia enascantur; sermonem malum tanquam filum abrumpendo, aliò deriuato callide colloquio. Sic nemo iure indignabitur, sed tacite quisque reprehensus officii admonetur: nollè se alienis participare delictis. *Delicta quis intelligit?* ait vates Regius Psal. 18. 13. *ab alienis parce seruo tuo.* Silentium itaque seruandum potius, quam vt alienis peccatis participes. Denique ad hæreticorum molestas & infrugiferas disputationes in itinere aut inter pocula (vbi de Verbo Dei se tactant etiam mulierculæ) quia nullus hinc fructus sed amarulentia maius quæ existit odium post conuicia; collegimus pauca de innumerabilibus, quibus viæ longæ tædium fallere queas, cum historica, tum Philosophica, & Philologica. Lege, si forte prosint.

HO-

HOMINIS AETATES *ad annum vsque centesimum, & Proprietates cuiusque.*

10. anni *Pueritia:* Disciplina. Stolidus.
20. anni *Adolescētia:* Palæstra. Gymnastes.
30. anni. *Virilis* ætas: Expeditiones. Miles.
40. anni *Senectus.* Iudicium. Consiliarius.
50 anni. Cōstans: Grauitas. Crudus senex.
60. anni. Decrescens, Quies. Senex.
70. anni. Considera futura. Pigritia. Decrepitus.
80. anni Ridiculus. Tabes, Silicernium.
90. anni Qui ludibrio habetur. Delirium. Bis puer.
100. anni Quiesce feliciter. Sepulcrū: Quæ (vitam sequuntur cogita.

NATIONVM PROPRIETATES *& Regionum varia.*

CAVTIO.

CAVE putet qui hæc leget, odio, aut conuiciandi libidine hæc collegi; sed ideo, ne quis aliorum de-

 gente

gente quoque iudicia ignoret nec ipſe neſciat ab alijs obſeruata;ea ipſe qua potes, fugias vitia ac declines. Nemo enim ſine crimine viuit, & ſunt gentilicia quædam vitia. Socratem ſapientiſſ. Zopyrus ex facie de natura ipſius faciens iudicium, multorum criminum reum fecit: nec ille inficiabatur quæ dicta eſſent vera eſſe, niſi illa honeſti exercitatione emendaſſet. Philoſophiæ id ferēs acceptum, nos Deo Christiani attribuimus. nam

Cuiuis poteſt accidere quod cuiquā ſolet: ait mimus Publij Syri, & S. Auguſtinus Homilia XXIII. lib. 40. Homil. *Nullum*, inquit, *peccatum facit homo, quod non faceret alter homo, ſi deſit rector per quem factus eſt homo*. Hæc hactenus.

HISPANI Conſulti, bellicoſi, graues.

ITALI ingenioſi, vindictæ cupidi.

GALLI Mobiles, intemperantes.

BRITANNI verſipelles, negociatores.

Belgæ

BELGAE delicati, negociis, linguis dediti.

GERMANI bellatores, simplices, benefici.

Ex his FRANCONES simplices, rustici.

BAVARI, sumptuosi, conuiuatores.

SVEVI, leues, loquaces, gloriosi.

MISNENSES, magnifici, locupletes.

SAXONES, versuti, contumaces.

Rheni accolæ; frugi, hospitales, aperti.

BOEMI; inhumani, prædatores, seditiosi

PANNONES, vulgo Hungari, asperi victus in aureo solo.

NVMERORVM MYSTERIA

Aenigmatice proposita:

E *sacris litteris: Prouer.ca.30.& Ecclesiastici cap.25.*

VNVM. Vnus Deus,
Vna fides,
Vnum baptisma: Ephes. 4. v. 5.
Vna Ecclesia Catholica & Apostolica,
Vna via ad vitam, CHRISTVS.

DVO petendâ à Deo cum Salomone Rege. Prou.30. ver. 7. vt in vita consequaris

1. Vt longe absit inanis sermo & maledicentia.

2. Non fieri vel nimis {opulentum, inopem,} {sed singulis conferri victui necessaria:} ne in abundantia spernat Deum, aut in egestate furtū cōmittat, aut impius in Deū existat.

DVO actionum genera ægre sine salutis iactura obiri possunt, ait Siracides, Ecclesiast. ca.XXVI. ver.28.

1. Mer-

1. Mercatura sine delicto, si vitia non præstentur.
2. Cauponam exercens sine peccato, si fraudes. &c.

TRIA insaturabilia, quartum autem expleri nullo modo potest. Proverb. 30. v. 15.
1. Infernus.
2. Mulier intemperans.
3. Terra sicca.
4. Ignis omnia deuorans, nec satis vnquam alitur.

TRIA sciri non possunt, & quartum comprehendi non potest. Prouerb. xxx. v. 18.
1. Vestigia aquilæ volantis.
2. Via serpentis super rupe.
3. Semita nauis in maritimo cursu.
4. Gressus adolescentis ad iuuenculam.

QVATVOR sunt minima in terra, sapientiâ tamen superant omnes sapientes, Prou. 30. 24.
1. FORMICAE, quæ parant in æstate alimentum.

2. CHI-

2. CHIROGRYLII, genus inualidum, habitans in rupibus.
3. LOCVSTAE, sine Rege, volitant tamen ordine pulcro, quasi sub signis.
4. ARANEA, quæ texit telam, & habitat in domibus regum.

DVO augent peccata, & tertium prouocat iram. Eccles. 23. v. 21.
1. Animo feruens tanquã ignis vrẽs.
2. Adulter in carne corporis sui.
3. Vir transgrediens lectum, & mulier deserens maritum suum; &c.

TRIA speciosa in oculis Dei atque hominum. Ecclesiast. 25. v. 1.
1. Concordia fratrum.
2. Amicitia inter vicinos.
3. Vir & mulier in fide mutua perseuerantes.

TRIA omnibus odiosa ac molesta. Eccl. 25. 3.
1. Pauper superbus.
2. Diues mendax.
3. Senex adulter, qui caret intellectu.

DVO perturbant cor meum, & tertium ira me afficit. Eccl. 26. v. 25.

1. Bel-

1. Bellator, ob paupertatē destitutus.
2. Viri prudentes spreti.
3. Cum aliquis declinat à recto ad peccatum.

TRIA sollicitant meum cor: de quarto Deum precatus sum. Eccl. 26. 5.

1. Proditio ciuitatis:
2. Plebis conuenticulum:
3. Iniusta calumnia;
4. Mulier de muliere æmulata.

EXTERNA.

Dvo non recipiũt socios { Amor, & Principatus

Lucan. 1. Pharsal. -- *Omnisq; potestas Impatiens consortis erit* ---
Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

TRIBVS ouorum consistit exploratio,

Oua tibi sumas { candida, longa, noua.

TRIA Valitudinis conseruādæ præcepta

cepta ex Plutarcho:

1. Non satiari cibis ad Fastidium.
2. Non abhorrere à laboribus
3. Seminis naturæ conseruatio.

Præcepta tuendæ valetudinis Ioach. Camerarij in Arithmologia.

BINA fac vt serues hæc, si vis vivere sanus,
Luce bis & noctu toties: & mense bis vno:
Quoque bis inque anno, verum vita semel omni,
Pascere: minge: laua: venam seca: adorna hymenæum.

TRIBVS paruisse numquam te pœniteat:

1. Veritati diuinæ potissimum.
2. Consulenti tibi bona
3. Gallo gallinaceo excitanti mane è somno.

QVATTVOR oculis sunt grauia & molesta:

1. Fumus ex ligno, potissimũ humido Ventus procellosus.
3. Lacrymæ.
4. Videre amicos infortunatos, inimicos

micos fortunatos.

TRES penitus mente carent.

1. Qui fidem mendacijs tribuit
2. Otiosus multa vorans.
3. Qui iram nescit frenare.

TRIA declarant Rempub. bene aut male regi:

1. Aedes sacra, seu templum.
2. Curia, &c. Schola.

Hinc Carolus V. vere Augustus lustrans Vrbes & oppida, tria P. sibi consulenda aiebat:

Pastorem, Pratorem, & *Praceptorem.*

Tria ergo P. si optima fuerint, felix Resp. vt in Religione tria Cappa optima, non pessima.

Cella, codex, CHRISTVS. Hinc Th. à Kempis:

Nusquam tuta quies nisi Cella, codice, CHRISTO.

TRIA memoria semper habeto.

1. Mandata Dei.
2. Bene facta tibi ab alijs
3. Mortuos, vt moriturum te cogites.

De TRIBVS iudiciū semper suspēde

1. De ignotis & occultis
2. De diuinis & cælestibus.

3. De

3. De amicis & inimicis.
Excæcant enim timor, & odiũ.

TRES auribus bene vtuntur:

1. Qui aliorum arcana & vitia recusat audire:
2. Obturans turpiloquio & calumnijs,
3. Bona præcepta audiens, ijs obedit.

DVO celari ægre possunt, Ebrietas & Amor. Vnde versus Iambici Antiphanis Comici.

——— *Celare*,
Alia omnia posit aliquis, hæc præter duo:
Viniquè potum, flammas & Cupidinis.
Nam proditur verbis vtrumque horum & oculis,
Vt qui negat, plane esse talem appareat.

QVATVOR candida, quintum splendidissimum.

1. Nix.
2. Argentum.
3. Cerussa.

4. cani hominis:
5. Cor simplex, prudens ac verax.

TRES hi non vident.

1. Captus oculis
2. Stultus & insipiens, etsi cernant,
3. Captus voluptatibus, qui & mutus fit.

TRIA inutilia, & frustra fiunt:

1. Cribro haurire aquam.
2. Sequi cursu volucres
3. Luctus super defuncto, nec enim lacrymis reuocari potest.

Duplex Victoria laudabilis { seipsũ vincere, & bene de se meritum.

TRIA à tribus auertenda, gloriæ cupidis:

1. Oculi à scriptis aliorum taxandis.
2. Aures à Secretis.
3. Manus à pecunia aliena,

TRIA quæ male aut bene corpora afficiunt humana: iuxta hoc dictũ:

Balnea, vina, Venusque hilaris cupidissima risus,
Corporibus prosunt, corporibusque nocent.

QVA-

QVATTVOR hæc domi maneant oportet.

1. Caminus, seu focus perennis
2. Cohors gallinarum,
3. Felis,
4. Vxor, cuius est proprium οἰκουρεῖν, domi curare.

QVATTVOR his impedimento esse noli:

1. Puero in ludum eunti,
2. Succursuro oppressis,
3. Volenti nubere legitimè,
4. Conuertenti se à vita turpi ad meliorem.

QVINQVE hæc retine tibi, neque alijs accommoda:

1. Equum bonum.
2. Mulierem prudentem ac fidã viro:
3. Seruum fidelem.
4. Bouem aratorem, rectè sulcos secantem.
5. Ensem validum & arma bona.

SEX hæc digna risu,

1. Struthiocamelus, seu passer marinus, qui putat se occultari, cum inter arbusta caput abscondit.

2. Fuli-

2. Fulica, quæ sorbendo spumam capitur.
3. Qui gloriatur se esse virum fortem, & caret vulnere:
4. Qui dicit se ægrotare, & multa passum, & bonū retinet colorem.
5. Virgo vituperans legitimè nuptam, aut nupturam.
6. Qui deplorat ea quæ aliter fieri nequeunt, & petit quod infectum fieri nequit.

Scyphi quot bibendi.

Bacchus apud Eubulum in Athenæo.

TRES tantū ego sanis crateras misceo.
Vnū valetudinis & hūc primū ebibūt.
Secundum amoris: at saporis tertium.

Schlaepdronck.

Quo qui sapere solēt eūt hausto domū.
Nam quartus haud est amplius crater meus, &c.

Vide & in Sympofiacis variorum, vt Stuckij.

INANIA, ET INVTILIA *multa ex vulgi sermone, & Adagijs.*

Loqui cum surdo.
Nutu cæcum aduocare.

In

In silua piscari.
Semen in mare spargere.
Sterile solum colere.
Vndas aquarum numerare.
Ventos vtri includere velle
Caluum tondere:
Laterem lauare:
Camelum ducere per foramen acus:
Hircum mulgere:
Actum agere:
Bibere ex vacuo poculo.
De calculis polentam facere.
AEthiopem lauare.
Et; Mola ad molendum inutilis.
Fornax sine igne·
Nauis, turris, & ciuitas,
ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔχων.
Expers virorū, qui frequentāt incolæ.
iuxta Sophoclem Tragicum, qui & alibi:
Φρονεῖν διδάσκειν ὄισιν οὐκ ἔνεστι νοῦς.
Docere mentis impotem sapientiam.

TRIA

TRIA VARIE.

Excerpta è Gripho Ternarij numeri Ausonij, & Arithmologia Camerarij.

Quæ in cœtu proponi quasi Aenigmata litteratis possunt, fallendi temporis gratia: vt diuinãti laus sit & plausus, aberranti sibilus, vel quid aliud.

TRES Musæ priscæ; Melete, Mneme, Aœde.

Post nouem Musæ numeratæ.

Tres Sibyllæ, Cumæa, Sardiana, Erythræa.

Alij etiam nouem numerarunt.

Tres Gratiæ: Aglaia, Euphrosyne, Thalia,

Tres Horæ: Eunomie: Dice: Irene.

Tres Parcæ: Clotho, Lachesis, Atropos.

Tres Furiæ: Tisiphone, Alecto, Megæra.

Tres Harpyiæ: Ocypote, Aello, Celæno.

Tres ex ouo nati: Castor, Pollux, Helena.

Tres Gorgones: Stheno, Euryale, Medusa.

Tres Syrenes: Thelxiope, Molpe, Aglaophona. Vel vt alij: Leucosia, Ligia, Parthenope.

Tres filij Saturni: Iupiter, Neptunus, Pluto, totidemque filiæ: Vesta, Ceres, Iuno.

Tres Musæ, quæ filios pepererũt { Calliope, Orpheũ / Terpsichore, Rhesum & Sirenas tres. / Clio, Linum.

Tres matricidæ { Alcmæon, / Orestes, / Nero Imp.

Charybdis indies ter aquas emittit, terque resorbet.

Tres Hercules { Ægyptius, seu Lybicus / Tyrius: / Græcus, Thebanus aut Argiuus.

Tres Bacides vates, Arcas, Atticus, Boetius, de quibus M. Antonius Muretus Variar. lect. lib. 16 ca. 15. Pet. Victorius lib. 26. ca. 16. Gul. Canterus lib. 3. Nouarum ca. 14.

Ter-

Ternarius in IE. CHRISTI passione:

Ex Anastaurosi Iambica Hadr. Iunij.

O Mira vis Ternarij
Quæ occurrit hic frequentius!
1. *Comites in hortum tres legit,*
2. *Ter dormientes excitat.*

3. *Ter orat; armatas humi*
4. *Sternit cohortes ter potens:*
5. *Cristatus ales ter canit,*
6. *Totiesque Petrus peierat.*

7. *Tres iudices primarij.*
8. *In publicum ter sistitur.*
9. *Ter Pontius virum probat,*
10. *Ter in crucem deposcitur*

11. *Tres innocentiam approbant,*
Patientiæ testis latro,

Præses modestiæ, at suo
Scelere agnito Iudas reus.

12 *Contexitur linguis tribus*
Titulus crucis: tres per crucem
13 *Confregerat, Mortem, Stygem*
Tetrūq; Mortis præstitē. peccatū.

14 *Treis longa mors producitur*
15 *Horas: tribus suffigitur*
16 *Clauis, cruce in medio trium:*
17 *Triduum sepulchro conditur.*

Plura de Numeris, itemque Exempla Centuria 3. & 4. Exemplorum FRANC. SCHOTTI Duaci edit. anno Domini M. DC. VII.

ÆNIGMATA
SEV
GRIPHI
Antiquorum aliquot.

PHINGIS Ænigma de HOMINE, quod Oedipus dissoluit, & Sphinx se præcipitauit: vt refert Palæphatus libro ἀπίςων.

DIC, *ita diffugies damnosa pericula lethi:*
Quadrupes est animal, bipes hinc, tripes inde pererrans,
Quando oritur Phœbus, medio stat in axe, caditque
Atque gradu celeri vocum variante figura.

Græcè apud Athenæum lib. 10. exstat. Ausonius vero in Gripho Ternarij numeri, ita:

Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes, omnia solus
Terruit Aoniā volucris, leo, virgo, triformis,
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Ceterum de forma Sphingis, biformi & triformi multa Desiderius in Adagijs, & Hadr. Iunius Centur. V. Adagiorum, idemque ad Emblema LII.

SAPPHONIS POETICAE, De Epistola, apud Antiphanem in Athenæo lib. x.

Feminea quædam natura fœtus sub sinu suos
Seruat: ij vero muti clarā vocē edūt,
Tum per æquoris fluctus, tum per continentem
Vniuersam: quibus placet mortalibus:
Licet autem etiam absentibus.
Quamuis surdū auditus sensū habeāt,
Illos audire. ———

Alij vero de *Ciuitate* non *Epistola* interpretati sunt.

THEO-

THEODECTES de nocte, & die.

Vna aliā gignit, geminæ sunt namque sorores:
Quæq́ʒ prius genita est, mox rursum gignitur ipsa.

TEVCRVS de Coclea, apud Athenæum lib. x. Δειπν.

Animal sine pedibus, sine spinis,
Ἔχος, testaceo tergo,
Prælongis oculis, deorsum se flectētib.
Sursumq́ʒ se attollentibus.

PACVVI de testudine, apud Cic. 2. de Diuinat.

Sanguine cassa, domiporta, terrigena traditur;
Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera.

HOMERO propositum à piscatoribus de pediculis. Herodot. in eius vita.

Quod captum est perijt; sed quæ non cepimus, adsunt.

VIRGILII Ecloga III.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum,
Nascātur flores, & præmia solus habeto

IBIDEM.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpacium, non amplius vlnas.

Vide Seruium, Donatum, & Philargyrum,
Andr. Alciatum, Parergis, & Pe. Crinitum lib 3. de honeſta diſciplina cap. 8. & Lud. à Cerda in Virgilium, enarratorem opt.

AEnigma in Athenæo lib. 10.

1 *Quid eſt quod neſcimus, & docemus omnes?*
2 *Quod idem nuſquam & vbique eſt?*
3 *Quod idē in cœlo, terra & mari eſt?*

Solutio. 1. *Animus* Athenæo, vel. *Medicina.*
2 *Tempus* eidem Athen. *Deus aut infinitum* Caſaubono.
3 *Canis, vrſus, ſerpens, aquila.*

Plura Sympoſius & Athelmus verſibus collegere Aenigmata.

FINIS.

ADDITAMENTVM:

Seu

ALMAE VRBIS Romæ plenior descriptio; in qua minutatim fere quæ ibi visu digna commemorantur.

QVamquam in superioribus vrbis Romanæ situm & alia nonnulla quæ eò spectant, delineauimus: quia tamen illud totius Orbis miraculum, nec dignè satis vmquam describi, nec satis accurate oculis lustrari potest, age te Lector, amplius aliquanto circumducemus; vt & qui eo veniunt, habeant quod inuestigent & visant; & qui non veniunt, quod domi admirentur, tantoque melius Veterem ac Nouam Romanam Historiam vtrique intelligant.

Omnium Europæ totius vrbium populosissimæ hodie sunt Roma & Venetiæ. Etsi enim hodierna Roma ab antiqua illa, qualiter à Publio Victore & ab

ab Honufrio Panuino scriptis exactissime demandata est, quæ ante annos aliquot in lucem missa erat, Clemente VII. pontificatum tenente, quammaxime discrepet, atque ex admirandis ædificijs & structuris nihil hodie superſit, præter exiguas reliquias & fragmenta mutilata, ex quibus antiquæ vrbis splendorem magnificentiamque & profusos imperatorum principumque sumtus, op ficum diuina ingenia & industriam stupere & admirari possumus. Certissimum tamen est, quicunque eam vrbem diligenter & accurate lustrauerit solertique indagatione notauerit omnia, quæ in ea seruantur à viris antiquitatum studiosis, animaduertet fatebiturque, nihil vsquam gentium spectari, quod cum Roma possit merito conferri. Atque hæc omnia magis commendari debent, quod præclari illi patritii & ciues nihil habeant domi suæ quæ non liberaliter peregrinis vidẽdum permittant, tanta humanitate, tanta comitate. vt etiam credere velint ab eis idem beneficium recipere, quod in eos vltro cõferunt Quis obsecro, vnquam literatus exclusus est ab ædibus ciuium ac patritiorum? Quis vnquam inuisit quin ab

cia-

eis discesserit cum singulari fructu & delectatione? Omitto personas illas Ecclesiasticas, Cardinales, Archiepiscopos & sacerdotes illustriores, qui propter dignitatum quib. funguntur amplitudinem, communicare colloquia non semper possunt cum hominibus priuatis & peregrinis. Tanta enim in ijs est facilitas, vt neminem à suis ædibus arceri patiantur, sed domesticis seuere iniungunt, vt amice & comiter omnia communicent poscentibus, eosque in cænacula, hortos secretioraque conclauia admittant, potissimum bonarum literarum studiosos, vt contemplentur, admirentur & notent quicquid spectatu dignum est: non solum marmora exquisita & pretiosa, vasa, statuas, tabulas, numismata & signa gemmis exsculpta, sed etiam ipsas bibliothecas exacte perlustrent, libros ex antiqua papyro, membrana, intestinis corticibusque confectos reuoluant, ac sese contemplatione tam excellentium rerum, si fieri posset, expleant & satient. Quis vero est tam in Gallia, quam in Germania, qui ignoto fores suæ domus apertas esse patiatur, vel illi videnda præbeat, quæ ornamenta possidet? Nemo sane,

 nisi

ni si sint aliqui viri docti, qui eruditione faciliores redditi sint, & erga peregr nos mansueti, quibus tamen non sine superc lio & morositate sese communicant, nisi d gnos hoc officio prius iudicent. Et dum de hospitum dignitate dedignantur inquirere, ind gne à se expellunt eos, quorum studio & curæ satisfacere esset consultius.

Porro non pigebit huc referre, nec lectorem pœnitebit cognoscere, quæ hodie adhuc memoratu ac visu digna Romæ visuntur. Ac primum, vt ab ea parte incipiam, qua per Hetruriam, Romam itur, occurrit primo Porta Vaticana, quæ Castello S. Angeli est contermina, iuxta quam prata Quinctia, Tyberi & Vaticanis collibus ac Strozz orum vinea clausa. Eo se frequentissime Romana iuuentus conferre solita est, deambulationis oblectationisque gratia. Voluptati enim præ cæteris omnibus hic locus rributus est, Qua autem ingressus in vrbem patet, portâ Æliâ, quam Castelli vocant, prope se extollit ingens illa moles Adriani imperatoris, quam extra Vaticanam vrbem extruxerat, vt in eo sepeliretur: & in eadem Antoninorum cineres reconderentur.

Ho-

Hodie Castellum S. Angeli dicta, quod vt fama refert, angelus exerto gladio visus est vrbem eo loco defendere; ideo nostro tempore ingens statua angeli marmorea in summitate molis reposita est, vt nomen arci confirmaretur. Ab hac arce deambulacra secreta fornicato opere protenduntur vsque ad palatium Pontificum, quod in colle Vaticano structum est, vocantque Curritorium: per quod Pontifices vrgente necessitate dum obsiderentur, occulte se possent subducere, & tuta fuga ex palatio in hanc arcem se recipere.

Castello S. Angeli vicinus est pons Ælius, factus ab Ælio Adriano prope regionem Vaticanam: per quem in suum sepulcrum transitus esset facilior, ad funera eorum, qui in tam magnifica mole sepelirentur, procuranda. Hodie pons Castelli vocatur, per quem ex vrbe in Burgum via protenditur ad palatium summorum Pontificum. Inde sub Ælio, medio Tyberi conspiciuntur è regione xenodochij S. Spiritus, ruinæ pontis triumphalis, qui olim triumphis sacer fuit. Imperatores enim de exteris nationibus & prouincijs triumphantes, hoc ponte pompas so-

lennes in Capitolium agebant.

Huic proximum est Burgum recta ducens ad palatium Pontificum, quo loco olim ante Alexandri II. tempora sylua fuit, siue lucus Vaticanus, qui erat insignis sepulcrali pyramide Scipionis Africani. Nunc aliquot ædificijs illustribus atque diuersis ornamentis, insignibus nempe palatijs, conspicuum. Quorum illud, quod assurgit prope S. Catharinam Cardinalis fuit Dandini: in eoque monstratur caput elegans Agrippinæ matris, Neronis pectore vestito: Hadriani Imp. & Antinoi Bithyni iuuenis formosissimi quem Hadrianus in delitijs habebat atque alia insuper multa. Superius ad dextram est palatium Cardinalis Roberti Strozzæ: vbi præter infinita ornamenta notatu digna ostenditur armamentariũ splendidissimum, omni genere armorum exornatum, tam nostratium, quam exterarum nationum; maxime Indorum & Americorum: vt sunt clauæ & gladii lapidei & lignei, quibus etiam chalybs scinditur; diuersa vestimenta, pilei, cassides, perizonia, periscelides, & balthei clypeique, ex plumis artificiosissime composita omnia tantaque indu-

stria

stria elaborata, vt sine admiratione nemo ea satis contemplari potis sit. Duo etiam ibi monstrantur Aleriones siue aues Paradisi, quas Apodes nominamus. Harum corpora sunt tenuia, quasi ex xylo vel bombice: plumis oblongis versicoloribus & quæ colorem iridis cœlestis referunt, & mutant dum auiculæ corpus inuertitur, nunc aurum, nunc purpuram viridemque Smaragdum. & Saphyri cyaneam repræsentantes formam, vel eam gemmam, quam opalam vocamus. Sunt & alia in Burgo palatia, vt Campegiorum, ad dextram, & ex opposito Parisinum: vtrumque picturis & tabulis elaboratissimis instructũ. In domo Petri de Radicibus in eodem Burgo, præter Bacchum integre nudum & tres Musas longis instictis amictas, monstraur etiam caput senis, quod longe dissimile est illi Caroli Magni effigiei, quæ in Prætorio demonstratur Norimbergæ.

Sinistram ibi plateæ partem prope portam S. Honufrij, Palatium Cæsianum occupat; ibi monstratur effigies Hippolytæ Amazonis, quam Michael Angelus Banarotus Florentinus, nostri seculi pictor, sculptor & architectus excellẽtissimus,

ſimus, mirifice laudat, vtpote in qua ſummum videatur artificium & proport o perfectiſſima. Huic areæ ſiue corti adiacent amœniſſimi & ſpatioſiſſimi horti, qui in quatuor areas latiſſimas diſtincti ſunt, ac ſingulæ fontes præbent limpidos, quibus ſtatuæ ſuperimpoſitæ ſunt. Atque hic effigies & ſculpturæ artificioſiſſimæ videntur, vtpote Bacchi, Fauni, Neptuni, Apollinis, Agrippinæ, Palladis, Hermaphroditi cuiuſdam nudi, Iouis Hammonis, Pompeij Magni, Demoſthenis, Speuſippi, Veneris, Romæ triumphantis de Dacia victa, aliaque ſigna antiqua, quæ ſpectantibus ſingularem præbent delectationem.

Paulo altius attollitur ædificium rotundum reſtudinatum, quod Antiquariū vocant, à diuerſis ſignis & imaginib. marmoreis, quæ in eo continentur. Vbi præter alia ſimulacrum eſt Satyri, cui aſſidet iuuenis inflans fiſtulam ſeptemplicem. Nuſquam gentiū videtur ſtatua elaboratius facta vel venuſtior. Scopæ dicitur opus.

In Palatio pontificum, in quod relictaLateranorum Baſilica propter amœnitatem ſeſe receperunt pontifices (cu-

ius amplitudo rāta est, vt oppidi potius iustam magnitudinem æquet quam domus) ornamenta exquisita tanta sunt ac talia, vt admirari potius quam recensere ea quis possit. Inprimis vero sacellum xysti, quod altissimum latissimumque templum æquat amplitudine, hic annotare & contemplari necesse arbitror. In hoc solet fieri noui pontificis electio, congregatis in hunc locum cardinalibus omnibus, & Ecclesiæ Romanæ præfectis, in sede vacante & interregno, sententiæ & suffragia ab vnoquoque excipiuntur & referuntur in publicum. In huius sacelli pariete, qui attollitur pone summum altare, videtur pictura illa admiranda Michaelis Angeli Bonaroti, qua extremum Christi iudicium expressum est, tanta arte, tanta venustate, vt nihil elaboratius, nihil perfectius, aut absolutius toto mundo videri possit. Sunt etiam in hoc palatio horti, qui propter collium Vaticanorum amœnitatem, *Beluedere* nominantur. E simulacris, quorum infinita ibi visuntur, Michael Angelus summe laudat illud Herculis, quod est ad partē inferiorem statuæ Veneris cū Cupidine colludentis, idque omnium, quæ

Romæ

Romæ videntur, absolutissimum esse asserit. Atque præter hoc etiam statua Laocoontis, cum duobus filiis, quos gemini dracones impli. ā-,& flexuosis voluminibus intricant. Hoc opus est omniū, quæ toto orbe videntur, absolutissimū, teste Plinio, atque hanc statuā Michael Angelus dicit esse miraculum artis singulare, in quo diuinū artificum debeamus suspicere ingenium, potius quā ad imitationē nos accingere. In adiacēte cænaculo, sub testudinato receptaculo, est alia Cleopatræ statua quasi morientis, tanta arte sculpta & perfecta, vt per medias vestes tenuissimas, quæ ex marmore factæ sūt pretiosissimo, videatur corporis forma numeris omnibus absolutissima. Et quid multis? verbis exprimi non potest, quanta loci pulchritudo, quantum singulorum, quæ ibi videntur, pretium & quantam admirationem spectantibus moueant.

Quid de bibliotheca Vaticana, quam Nicolaus V. stabiliuit, memorem? quam qui lustrauerit diligentius, in ea nihil desiderabit, quod ad admirationem, curā, aut studiū viri literati facere possit. Tam multi sunt in ea libri ex membranis, linteis, corticibus, & antiqua papyro,

ro, vt Ægyptiorum illam Ptolomæi bibliothecam superare non sit dubium.

In platea media, quæ latissima expanditur ante pontificias ædes & S. Petri delubrum, obeliscus ille Vaticanus integer ex lapide ophite, cuius altitudo est pedum 170. præter basin, quæ continet pedes 37. Obeliscus in inferiori parte latus est ped. 12. in superiore vero octo. Fuerat ante paucos annos erectus ad sinistrum templi Vaticani latus in circo Neronis: sed Sixti VI. P.M. beneficio inde translatus est in mediam plateam loco celebriori, opera Dominici Fontanæ, architecti Comensis: quod cōtigit anno 1586. nescio an in hoc magis admirari debeamus audaciā architecti, quam artis efficaciam; qua potuit saxum tanti ponderis suo loco mouere, & alio transferre sine ruptione. Solus enim obeliscus præter basim superat pondus 956148. librarum; præter vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quibus oportuit tantam molem lapideā cingi, vt posset facilius comprehēdi, & alio moueri; quæ omnia decies centena millia quadraginta duo millia octingētas & viginti quatuor libras æquabant.

Non procul ab hinc est xenodochium siue

siue hospitale S. Spiritus, ab Innoc. III. primo ædificatum, postea multis ædificiis ampliatum Sixti IV. sumtibus, pauperum & hospitum peregrinorum vsibus & necessitatibus dicatum est. In eo, sicut & in Laterano, diligentissime ac summa cura tractantur hospites ægroti maxime: ad quorum commoda pharmacopolium omnis generis medicamentorum instructissimum erectum est, medici expertissimi ac fidelissimi constituti sunt, qui aduenarum vsibus fidelissimam præstant operam. Fitque sæpius, vt non solum pauperes & egeni, sese eo transferant, sed etiam opulentiores & ingenui ciues, qui familiam non alunt: vt curentur. Exactius in hoc suis sumtibus xenodochio tractantur, opus Christianæ charitati ac dilectioni proprium.

In monte aureo (qui ita vocatur à sabulo scintillante tanquam aurũ, quod illic nascitur) structum est templum S. Petri, omni picturarum elegantia ornatissimum. In quo etiam erectum est insigne Iulij III. P. M. sepulcrum: quod sibi dum viueret, struxit; conditus tamen iacet in Vaticano, loco humili & inglorio.

Ere-

E regione Naumachiæ siue Arsenalis, vbi olim omnia instrumenta bellica, quæ ad classes instruendas erant necessaria, reponebantur (hodie vero vinum venale ibi proponitur, quod ex Ostia nauigio per Tyberim in vrbem nuehitur) paulo inferius pontem Aurelium, (hodie Ponte Xysto) reliquiæ adhuc quædam conspiciuntur pontis sublicij, qui olim ligneus fuit, quo tempore Horatius Cocles impetum sustinuit hostium, dum pons deijceretur, ne per eum in vrbem irruerent Hetrusci. Hunc postea lapideum struxit Æmilius Lepidus. Ex eo præcipitatus est in Tyberim Heliogabalus, saxo ad ceruicem alligato.

De insula Tyberina fama est, exereuisse eam olim ex segetibus Tarquinij Superbi in alueum fluuij coniectis: ad quas paulatim arenarum cumuli & excrementa vrbis sunt addita: successuque temporis emersit terra, quæ firmari cœpit: & solidiorem sumens basim ædificijs in ea struendis facta est cômoda: Lata quidem non est admodum, sed stadia duo sua æquat longitudine Æsculapio sacra fuit antiquitus, hac causa. Cum Romani contagiosa lue laborarent,

sent, Apollinis oraculo iussi sunt ex Epidauro Romam Æsculapium accerse-re: qui in specie serpentis ex ara templi prosiliens, in naues legatorum Romanorum, quæ in portu erant, tortuosis repens voluminibus magna spectantium admiratione conscendit. Cumque ad Ostiam peruenisset, per Tyberim in vrbem appulsa ad hanc insulam consedisse fertur, neque inde potuit nauis abstrahi; quæ res argumentum Romanis dedit, Deum velle coli eo loco. Ideo ex senatus consulto illic templum erectum est: quod hodie S. Bartholomæo sacrum est V. deturque adhuc in fide inferiore insulæ, nauis illius forma, quæ ex lapide formata erat: & quam inundatio fluminis rapidior superioribus annis detexit.

Dignus etiam vel maxime visu est hortus Cardinalis Farnesii in Transtyberina vrbe, variis statuis illustris Nec procul abhinc in templo Iouis, quod nunc Ioannis Baptistæ nomen habet, duo adhuc marmorei tripodes triangulares seruantur, qui religiose ad aram Iouis adstabant.

Carceres plebis eo loco fuerunt, vbi hodie est ædes S. Nicolai in carcere: quod

qu od templum erat Pietatis à, S. M. Actilio G'abrione dicatum: propterea quod in eo carcere filia patrem in vinculis arctatum multis diebus aluit proprio lacte.

Pilati domus (si vulgari famæ fidem habemus) ib. fuit, vbi prope pontem senatorium (qui nunc est S. Mariæ Transtyberinæ) altissimæ conspicuntur ruinæ, sed reuera si quis eas contempletur attentius, cognoscet illic fuisse lauacra, siue sudatoria Laconica: quod ex caminorum canal bus frequentibus, qui vndequaque parietibus inserti sunt, facile iudicatur,

Templum Fortunæ virilis adhuc fere integrum est & illæsum, longo vtrinque columnarum ordine; nunc S. Marię Ægyptiacę sacrum est. Quidam hoc asserunt fuisse Pudicitiæ matronalis delubrum; in quo fuit Bucca veritatis; quæ statua erat marmorea, exertis labris, in os cuius Volaterrani reguli filia manum inseruit, vt suam virginitatem impollutā probaret, cū ab lanu Fesulana de stupro accusaretur. Quod cum paulo post idem tentasset alia puella eiusdem criminis rea, simulacrum os strinxit, & impudicæ dextram truncauit. Saxum illud amplum & rotundum ex porphyro

phyro, in cuius medio leoninus extat rictus, quod ante scholam Græcam erectum est, hodie Bucca veritatis appellatur Quiatamen in vrbe, quamplurima eiusmodi animaduertuntur, ex diuersis marmoribus: quare stultum est ad buccam veritatis hæc applicare, quæ ad stillicidia & receptacula aquarum pluuialium seruiuisse verisimile est. Atque in hac vicinia etiam quædam sunt domus, in quibus spectantur multa egregia antiquitatis monumenta. Ostenditur etiam posteriore Capitolij parte præcipitium quoddam Tarpeia, rupes, quæ recta spectat Vestæ aram; ex hac Manlius affectatæ tyrannidis reus, edicto senatus præcipitatus est.

Domus Ouidij ostenditur inter eas ruinas, quæ sunt non procul à templo S. Mariæ della consolatione, alij dicunt fuisse in vico Iugario prope portam Carmentalem ad radices Capitolij, prope forum holitorium; vbi quoque Valerius Amerinus habitauit, vbi Opis & Saturnus ædes habuerunt.

Templum Vestæ, quod à Romulo post vrbem conditam est ædificatum inter Capitolium & Palatinum, fuit eo loco, vbi nunc est templum S. Mariæ delle

delle Gratie (alii S. Mariæ della Consolatione volunt) in eo Vestales virgines ignem sacrum & inextinctum custodiebant: & Palladium: quod erat simulacrum Palladis ligneum versatilibus oculis: olim ab Ænea ex Troia, cum penatibus Illi in Italiam deportatum. Hoc templum Deæ cum conflagrasset, ex incendio ereptum Pallad u n translatum est in Veliam: vbi est delubrum S. Andreæ in Pallara.

Templo S. Georgij in Velabro adiacet Arcus Boarius, totus marmoreus, artificiosissimis sacrificantium figuris insignitus. Erectus olim in honorem Septimii Seueri & M. Aurelii Impp. ab argentariis & negociatoribus. Cui vicinum est templum Iani quadrifrontis, quadratum, & in vnaquaque fronte porta amplissima, superiusque duodecim receptacula, quibus olim mensium simulacra continebantur. Ianus enim sacrificiorum princeps apud antiquos est habitus: ob id multa olim fuerunt Romæ templa Iano sacrata, è quibus illud maxime claruit, prope portam Carmẽtalem iuxta theatrum Marcelli, quod Numa erexerat: habuitque tantum duas portas, quæ pacis temporibus claudebantur, bello autem relinquebantur

apertæ. Hoc ter tantum clausum fu ſſe prod derunt hiſtoriæ. Primo à Numa cond tore. Secundo à T. Manlio Conſule Tertio ab Auguſto Cæſare, poſt bellum Act acum. Suetonius refert, à Nerone quarto fu ſſe clauſum: quod ex eiuſdem imperatoris numiſmatibus probatur, in quorum auerſa facie legitur: PACE POPVLO ROMANO VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Hodie templum hoc S. Catharinæ ſacrum eſt.

Hercul's Victoris fuis olim templum è reg one ſcholæ G æcæ verſus Tyberim vbi hod e videtur adhuc æd ficium rotundum fornice tectum, dirutum à Siſto IV. P. M. In hoc templum neque muſcæ neque canes, vt fama prodidit ingredieban ur: tanta fuit veneratione apud antiquos, & hanc cauſam referunt. Cum Hercules cum victimarijs Ioui ſacrificaturus eſſet, & à muſcis moleſtaretur, myagrium Deum muſcarum rogaſſe fertur, vt muſcas à carnibus arcere: clauam autem ſuam ad templi fores appendit; quam canes formidabant, neque oſtio audebant appropinquare.

Sacris

Sacris, quæ in eo fiebant, non aderant mulieres. neque serui neque liberti, sed liberi tantum liberisque parentibus nati.

Aræ maximæ, quæ prope scholam Græcam ab Hercule fuit erecta: prope quam Æmilius ædificauit Pudicitiæ patritiæ fanum: in quod cum ingressa esset Virginia nobilis quidem, sed plebeij viri vxor, à reliquis matronis eiecta est: quæ offensa propter repulsam, in vico longo Pudicitiæ plebeiæ templum erexit: à quo patritiæ quoque matronæ arcebantur. Nulla horum hodie extant vestigia.

Mons Auentinus diu infamis & inauspicatus habitus, quod Remus in eo cæsus esset, à Sabinis habitari cœptus, hodie antiquum nomen retinuit. In cuius vertice, Dianæ templum ab Anco Martio erectum, nunc S. Sabinæ sacrum est. Prope hoc templum Bona Dea delubrum habuit, nunc S. Mariæ Auentinæ dicatum. Nec procul ab hoc templo domum olim habuit Iulius Cæsar: ex hac Calpurnia Cæsaris vxor, cum se ad sacra nocturna Bonæ Deæ cum reliquis matronis contulisset

illius amore captus Clodius habitu muliebri tectus eo se contulit: cumque loci ignarus huc & illuc vagaretur, vt amicam quæreret, neque virorum vlli sacris Dei liceret interesse, nescius, quas ceremonias deberet seruare, ab ancilla proditus est. In summo Auentino, Hercules Victor fanum habuit, quod hodie dicitur S. Alexij.

Thermarum Decianarum, Varianarum & Traiani, ingentes hodie adhuc extant ruinæ, prope templa S. Priscæ, S. Alexij, & ad munitionem Farnesiam & portam veterem Tergeminam, in vinea Francisci Albertini, ciuis Romani.

Remoria vocatur is locus, vbi Remus cum suis auspicatus est: qui priscum nomen hodie retinet; vocantque Romani Remoriam viam, quæ à Circo maximo per dorsum Auentini recta ducit ad munitionem Pauli III. Farnesij, in ea cæsus est à Celere Remus, Romuli iussu, & ibidem sepultus.

Spelunca Caci eo loco fuisse dicitur, vbi rupes aspera & exesa, locusque accliuis cernitur, spectans Tyberim, è regione S. Mariæ Auentinæ. Hunc

cum

cum mactasset Hercules, quod boues, quos ex Hispania deuictis Geryonibus captiuos abducebat, aduersis caudis in id antrum traxisset: ibidem aram Ioui inuentori erexit, vbi postea templum erectum est Herculi. Ad hoc præcipitiū fuerunt olim Furcæ Gemoniæ, vbi facinorosi & scelerati vncis tracti immaniter trucidabantur. Ad has Vitellius imperator furca sub mento applicata, & vestibus ad nates vsque turpiter laceris, Vespasiani iussu necatus est; quod paulo ante Sabinum Vespasiani fratrem è viuis sustulisset.

Porta Tergemina antiquissima ex opere latericio adhuc hodie fere integra videtur ad Auentini radices prope Tyberim, ad vineas, quæ Traiani thermis adiacent. Per hanc portam exiuerunt vrbe Tergemini fratres Horatij, vt contra Curiatios Albanos pro patriæ libertate decertarent: quibus cæsis ac duob. fratribus amissis, Horatius ouans in vrbem regressus est.

Mons testaceus horreis Dioclętianis centum & quinquaginta cellis, sed ruinosis, conspicuus adiacet, qui ex vasta congerie vasorum fictilium erectus est. De hac vrnarum coacerua-

tione variæ feruntur opiniones. Quidam existimant montem hunc (qui in circitu suo fere duo millia passuum continet, & in altitudine plusquam centum & sexaginta pedes) in tantam vastitatem insurrex sse ex fragmentis ollarum, quæ à figulis eam vrbis partem circa flumen incolentibus congerebantur, ne si in Tyberym proiecta essent, fluuij cursum impedirent, vel si in agros vicinos eßēt exonerata, locorum obessent fertilitati. Quidam, sed inepte prorsus, eum vocant Montem de ogni terra: fabulantes coniectura ridicula erectum fuisse ex vasibus diuersarum nationum, quibus tributa Romam importabant Et vasa in eum locum memoriæ causa detrudi iubebantur, Olim Circus Olympicus totum id spatium loci complectebatur, quod Testaceum montem continet.

Ad portam Ostiensem adhuc integra conspicitur Pyramis C. Cestij Septemuiri Epulonum. Structa est ex candido marmore, saxis ingentibus & quadratis. Quamuis autem in eius frontispicio, quod Testaceum spectar, maiusculis literis nomen C. Cestii referat: volunt tamen doctiores, hanc Pyramidem fuisse

se-

ſepulcrum commune omnibus Epulonum ſepremuiris. Erant enim Epulones, qui curam gerebant conuiuiorum, quæ fiebant diebus feſtis & ſolennibus ſacrificijs in honorem Deorum.

Huic Pyramidi vicina eſt porta Oſtienſis, quæ nunc S. Pauli dicitur. Extra hanc portam ſtatim ſe offert templum illud ſplendidum, quod D. Paulo dicatum eſt. In quo quator ſunt ordines columnarum ingentium marmorearum, Dorico & Corinthio opere: præter alias innumeras, Atticas & Ionicas, quæ totum chori ſuſtinent ædificium. Neque vllum inuenias Romæ templum, quod columnarum frequentiore numero, vel exquiſitioribus marmoribus ſit excultum quam hoc.

Oſtienſi via ad Tyberim relicta, pons ſe offert ad læuam, riuo non admodum magno ſuperiacens. A quo ſemita ſeſe extollit in colles vicinos, ducitque ad eum locum, qui vocatur Tre fontane. Templum eſt antiquum, ante cuius porticum porphyriticæ extolluntur columnæ precioſiſſimæ; variegatæ enim ſunt venuſtiſſime rubro ac cinericio colore. Intrinſecus oſtendun-

tur tres fontium scaturigines; quarum aquæ sacrosanctæ vulgo existimantur, ac morbis multis mederi. In eo loco Paulus Apostolus sub Nerone truncatus capite creditur.

Ad finem Parionis siue Hyperionis vici, ad quem à Strada Iulia transitur, sunt Arsanæ ædes amplissimæ; ad quarū angulū sita est tota illa vrbe, imo toto orbe celeberrima Pasquini statua: cuius fastū celebratur toto fere anno, sed maxime in die S. Marci, Ad hāc solent Romani affigere scommata & famosa epigrammata: quibus innotescit omnibus, quicquid ioci aut vitiorum tota vrbe solet committi inter principes ac matronas nobiliores: plerunque cum infamia ac dedecore multorum: cum Satyrica illa scripta nullius nomini conditionique parcant: imo etiam sæpissime summorum pontificum gesta, ioci ac secretiora dicta in eo loco publicentur. Et cardinalium collegium turpi sanna plerunque sugillatur.

Haud procul inde vastum illud palatium Cancellariæ quadrato ædificio, ac totum ex Tiburtino lapide constructum Hoc ædificatum est ex ruinis Amphitheatri Titi Vespasiani; quod Coliseum

vo-

vocant. Ne tamen hæc tam munifica structura prorsus deleretur, pontifices voluerunt aliquam eius partem relinqui superstitem, vt ex ea appareret splendor integri ædificij. Erectum est ibi inter alia egregium Bacchi nudi simulacrum, redimiti pampinis & vuis, & cum Satyro colludentis: Bacchus hic dicitur sculptus à Michaele Angelo Bonaroto, cum primum Romam iuuenis ven sset Florentia: eo tempore primum locum inter pictores totius orbis facile obtinebat Raphael Sanctius Vrbinas. Is cum tacite Bonaroti famæ inuideret, & illius honorem crescentem studeret subuertere: Michaelem non latuerunt Sanctij consilia: cumque Florentino esset ingenium elatum & in vindictam pronum, ex aduersarij iudicio sibi famam apud Romanos stabilire constituit; opera multorum amicorum, maxime Cardinalis Capoferrati, qui illum dum vixit, perpetuo dilexit & fouit. Bonarotus igitur ex antiquo marmore, quanta potuit arte & industria hunc formauit Bacchum, perfectamque statuam vno mutilauit brachio, quod penes se seruauit: & in basi statuæ, excauata lacuna

suum inscripsit nomen, quod litocolla cooperuit: opusque quod clanculum elaborauerat, iussit terra recondi in vinea cuiusdam ciuis, qui in ea domum paulo post structurus erat. Cumque anno sequente simulacrum hoc esset repertum ab ijs, qui fundamenta domus iaciebant, vt solet Romæ fieri, statim adplaudi cœptum est, & aduectum ante pontificis Palatium, laudari à multis, & cum alijs conferri, ac multis præponi. Solus Michael dissimulatum suum opus laudare quidem, sed in eo non deesse, quæ possent reprehendi, dicebat. Tunc contentione inter illum & Sanctium orta, inuerti basim iussit, suum nomen ostendi, & brachium quod abstulerat nouum applicari statuæ, quam calce & cemento linierat prius, vt hunc situm ex antiquitate contraxisse videretur. Factumque est vt Bonarottus summum honorem apud Romanos ex Sanctii sententia fuerit adeptus.

In foro Farnesiorum, quod la piazza del Duca vulgo nuncupatur, est amplissimum magnificentissimumque palatium, quotquot in vrbe videntur, à

Pau-

Paulo III. P.M. Farnesio summis impensis extructum, ac multis statuis insigne. Ex cuius opposito sunt ædes Norciarum, diuersis inscriptionibus antiquis insignes, & elegantissimo illo Adonide nudo, integro & baculum tenente: alij Meleagrum esse dicunt, propter caput apri adiacentis, & canem qui spirare videtur. Inuentus est in Ianiculo monte in vinea: eius pretium quinque millibus ducatorum æstimatur: nulla statua tota Roma videtur magis integra, nusquam gentium antiqui operis statuæ tanti emuntur, quam Romæ. Omnes enim istorum ornamentorum ita sunt studiosi, vt in ijs conquirendis videantur inuicem decertare sumtibus & curiositate. Videtur ibidem simulacrum boni Euentus, qui dextra speculum tenet, læua ferrum ex spicis. Opus est Praxitelis absolutissimum.

Non procul à Campo Floræ sunt ædes Cardinalis Capoferrati, qui S. Georgij dicitur, Farnesianis multo minores, sed non minoris splendoris & artificij. In frontispicio depingitur tempus vernum: Veris præses est Venus (quæ ad similitudinem corporis Liuiæ

Columnæ principis formosissimæ depicta est) quæcunque illic repræsentantur, sunt amatoria: complexio hominum est sanguinea, & aeris elemento cuncta signantur. Ita & in reliquis frontispiciis complexiones, cholerica, melancholica & phlegmatica sunt expressæ, Elementa, ignis, aqua, terra; tempora, æstas, autumnus, hyems: Dij præsides, Mars, Saturnus & Ianus. Opus est absolutissimum. Cardinalis hic, vt fuit vir ingeniosus, comis & liberalis, intimo Michaelem Angelum prosecutus est amore, & ab eo imperauit, quicquid à tanto viro potuit artificiosum excogitari. Cui & conclaue pinxit secretum: in quo multa arte summa videntur expressa.

Præterea hic ædes Gabrielis Vallati, in quibus sunt plurimæ inscriptiones, & antiqua marmora. Ædes Marij Delphini, in quibus monstratur Canopi statua ex Simithe lapide facta in hydriæ speciem: in cuius frontispicio anteriore tabula est proposita literis hieroglyphicis plena, quibus arcana sacrificiorum Canopi mysteria tradi creduntur. Præterea etiam domus Maximorum, in quibus colossea.

Iosfea Pyrrhi regis Epirotarum statua, galeata & armata erecta est. Palatium nouum Cardinalis delle Valle, quod omnibus antiquitatis ornamentis excoluit princeps eruditus & locuples. Palatium Valerij Cardinalis Vallæi, ædesque eiusdem Vallæi huic palatio contiguæ: in quibus erectum est marmor candidum, altum & quadratum cum horoscopo solari & signis Zodiaci: vbi singulorum mensium dies & horæ notantur; & quicquid obseruare assueti erant antiqui, tam in sacrificiis Deorum, quam in ijs, quæ ad rem rusticam pertinebant; vt hodie nostris Calendariis factitatur. Domus Bocabellorum, quæ occurrunt in ascensu Capitolii: in quorum ædibus, preter inscriptiones varias & marmora selecta, fons ostenditur venustissimo constructus artificio, ex tophis & conchylijs marinis: vnde limpidissimæ scaturiunt aquæ: & in iis supernatant pisces artificiales subnixi filis æneis subtilissimis, quæ ad aquarum motum crispantur, & videntur leniter pisces moueri,

Ad partem superiorem Capitolii

ad ſiniſtram attollit ſeſe templum Franciſcanorum, quod vocatur Ara cœli, ad quod conſcenditur gradibus marmoreis octoginta quinque, qui quinque ordinibus ſunt diſtincti. Templi teſtudinatum ædificium ſuſtinetur vtrinque duobus columnarum marmorearum ordinibus: quibus tota vrbe non videntur ſumtuoſiores, ſi Vaticanas excipias. Hoc templum fuit olim Ioui Feretrio dicatum à Romulo, poſt bellum Sabinum: quod eo in loco Iupiter tuliſſet auxilium regi oppreſſo hoſtium violentia. In area Capitolina palatium eſt iuſtitiæ; vbi præter alia eſt fragmentum leonis mordicus equum tenentis: cuius artificium Michael Angelus miraculoſum vſque ad cælos laudibus extollere ſueuit. Ad ſiniſtram poſitum eſt palatium Conſeruatorum, ad cuius ingreſſum ſiniſtro latere tabula eſt marmorea, cui inſculpta eſt menſura Romani pedis & Græci: ſicut in monumentis Neronis & Agrippinæ excauatæ ſunt menſuræ tritici, calcis, olei & aliorum: ad quarum normam corriguntur vrbanæ menſuræ, ſi falſæ iudicantur. Atque alia præterea multa.

multa memorabilia ibi visuntur.

Templi Iouis Opt. Max. vbi hodie fiunt funes & rudentes, qua ad Tarpeiam rupem iter patet. Templi Veiouis, (vbi olim fuit arx Capitolina) quod olim fuit asylum facinorosorum. Monetæ Iunonis, quod à Camillo dedicatum fuit non procul à domo Manlij. Et Iani custodis, in ea Capitolij parte, quæ forum Romanum spectat, vbi hodie carcer & custodia est sceleratorum. Cum horum templorum deiectæ & fere solo æquatæ ruinæ duntaxat hodie conspiciantur, non opus est illis diu immorari. E Capitolio cliuus est lapidibus stratus, per quem descenditur in forum Romanum, vsque ad templum S. Mariæ, à radicibus Capitolij & arcu Septimij Seueri, qui ad finem cliui Capitolini marmoreus & integer erectus est. Per hunc arcum triumphales pompæ è foro ad Capitolium ducebantur. Ad radices Capitolij fuit Concordiæ templum à Camillo dedicatum, cum plebem reconciliasset senatui. Ad sinistram cliui Capitolini partem locus est, qui vocatur S. Petri in carcere: quod illic S. Petrus vinctus fuerit & clausus: ideo illi à Silue-

stro

ſtro Pontifice dicatus eſt: vbi feſtum vinculorũ Petri celebrabatur olim primo Auguſti: cuius feriæ Eudociæ imperatricis iuſſu translatæ fuerunt in Exquilias, ad templum quod illic ædificauit, & dedicauit S. Petro in vinculis. Carceres ij primo ſtructi ſunt ab Anco Martio: quibus concameratum locum ſubterraneum adiunxit Seruius Tullius à quo Tulliani carceres ſunt poſtea dicti, in ijs ſtrangulatos ſcribit Saluſtius eos: qui Catilinæ conſpirationi nomen dederant.

Ædibus diuæ Martinæ(ad quarum angulos iacet Marforii Coloſſus, fuerunt quę olim ſacræ Marti vltori,)proximum eſt Sancti Hadriani templum quod antiquitus fuit Saturni, à Numatio Planco ædificatum, vel vt alij malunt reſtauratum. In hoc fuit ærarium populi Romani, vbi etiam reconditæ erant tabulæ Elephantinæ, quibus continebantur XXXV. Tribus ciuitatis Romanæ. Ibidem quoque reponebantur ſigna militaria, decreta ſenatus, acta publica, & quæ ab imperatoribus bellorumque ducibus in triumphis adferebantur ſpolia deuictarum prouinciarum & populorum.

Ad

Ad dextram vbi sunt columnæ porticus templi Concordiæ, sub radice Capitolij, templum est hodie dicatum S. Mariæ Liberatrici: quod olim fuit Veneris & genitricis. Alti illi parietes, qui sub Palatini radicibus adhuc conspiciuntur pars sunt Rostrorum nouorum. Rostra enim vocatus est hic locus, propter suggestum & pluteum æneum, qui ex rostris nauium Antiatium structus erat. Ibi leges ferebantur, & habebantur conciones & conuentus patrum: ad ea proponebantur capita cæsorum supplicio publico: vt Ciceroni contigit, cuius caput amputatum iussu Antonii rostris affixum est, cum eius manibus; vnde Philippicas illas orationes declamarat Cicero, in æternum dedecus Antonij. Noua dicta sunt hæc rostra, ad distinctionem veterum, quæ ad Curiam Hostiliam sita erant prope Comitium: quod extendebatur à porta Palatij vsque ad eum locum, vbi hodie est structum templum S. Mariæ nouæ. In rostris veteribus nunc structum est sacellum S. Mariæ de inferno.

Forum Iulij Cæsaris occupabat olim eum locum decliuiorem, qui videtur post Faustinæ porticum, vsque ad templum S. Mar-

S.Martinæ Foro Augusti adiacet templum S. Laurentij. Templum Castoris & Pollucis fuisse dicitur inter S. Hadriani & Faustinæ. Templum Pacis à Claudio cœptum & à Vespasiano finitum, fuit augustissimum & magnificentissimum: cuius altissimæ testudines adhuc extant, non procul à templo Sanctæ Mariæ: vbi videtur hodie columna integra superstes, omnium, quæ Romæ sunt, altissima & maxima. In hortis S. Mariæ nouæ fornices altæ ac rotundę extolluntur, quæ fuerunt olim duo templa contigua, sacrata soli & lunæ, vel vt alij asserunt, Isidi & Serapidi.

Fori Augusti spectatur adhuc portiuncula eo loco, qui l'arca di Noe vocatur, corrupto vocabulo pro Arcus Neruæ. Ad dextram sunt duorum arcuum reliquiæ, partes palatij Neruæ sumtuosissimi. Arcus Neruæ restant adhuc fragmenta maxima, inter templum S. Basilij & turrim militiæ.

Via sacra, quæ ita dicta est ab antiquis, quod Augures solenni pompa per eam ad sacra facienda procederent, & in arcem conscenderent, extendeba.

tendebatur à foro Romanô per arcum Titi Vespasiani , vsque ad eius Amphitheatrum , quod vocatur hodie Colisæum. Ad hanc viam sacram eminentiore loco Titi Vespasiani ex marmore erectus est arcus ; in quo sunt exsculptæ victoriæ & triumphi pompa , qua ferebantur templi Hierosolymitani spolia post deuictos Iudæos ; nempe Arca fœderis , candelabrum septem lucernarum , mensa panum Propositionis , tabulæ Decalogi & vasa sacra , ex auro puro , quibus vtebantur ad sacra templi : quæ omnia in eo arcu videntur sculpta , cum curru triumphantis imperatoris . Prope hunc arcum sub Palatino ad dextram turris erigitur quadrata , quam vulgus vocat Studiolo di Vergilio : fabulanturque ridicule , ex ea fuisse Poetam appensum in corbe à quadam meretricula, ac toto die spectaculo fuisse populo: quod vt vlcisceretur Vergilius, qui Magicam callebat artem, effecit vt ignis tota vrbe extingueretur: vniuersusque populus candelas & lucernas incenderet ex flammis, quæ in pudendis meretriculę fuerant excitatę. Fabula pingitur hæc vbique, sine au-
ctore.

ctore. Non est verisimile, tale aliquid magno illi Vergilio contigisse, qui propter continentiam Parthenius vocabatur. Si quid in hac fabula verum est, de alio Vergilio Mago scriptum puto: de quo Neapolitani quoque dicunt plurima fuisse facta: inter cætera Pausilypum montem excauatum fuisse arte Magica, & peruium factum: nam Vergilij sepulcrum prope hanc celebrem cauernam erectum est.

In monte Palatino, qui olim fuit celeberrimus, propter augustas Cæsarum ædes, quæ in eo fuerunt superbissimæ, hodie nihil admodum notatu dignum videas, cum omnia sint inculta & deuastata: neque locus est tota vrbe desertior. Inter has ruinas templum exiguum S. Nicolai adhuc extat, cum aliquot ædiculis, reliqua occupantur vineis, hortis & vepribus. Ad huius radices, prope Pacis delubrũ fuit olim Curia Hostilia, eo die, quo Clodii à Milone cæsi, corpus cremabatur, tota igne combusta, cũ Basilica Portia illi vicina. Fuerunt etiam in monte Palatino multa templa diuersis Diis sacrata: ex quibus vnum fuit Victoriæ: ex cuius ruinis patet aspectus ad hortos S. Mariæ nouæ. Apollo quoque ibi habuit

buit templum, fulmine postea deiectum, cuius adhuc quædam vestigia videntur. Penates quoque suum fanum ibidem possederunt, ad Veliam, quæ spectat forum Romanum: in eo reposita erant simulacra, quæ Æneas ex Phrygia deportauerat in Italiam euerso Ilio: hæc in summa veneratione semper habita sunt à Romanis. Multaque alia in eodem monte fuerunt templa, quibus certus assignari non potest locus propter ruinarum implicatas ambages & confusionem. In eodem quoque Palatino multæ fuerunt splendidæ domus, vt Tarquinij Prisci, Ciceronis, qui suas à Crasso quinquaginta millibus ducatorum emerat, Germalus domus Faustuli, à germanis fratribus Remo & Romulo, qui illic fuerunt à Faustulo nutriti, qui casam in coluit, non procul à Græcostasi; Summa Velia, quod illic pastores soliti essent vellere lanas ab omnibus, antequam tonsuræ modus innotuisset; vnde lanæ auulsæ vellera vocantur; Palatium Scauri, Græcostasis, vbi diuersabantur legati diuersarum nationum, qui Romam mittebantur; domus Valerij Poblicolæ, quam vna nocte solo æquauit, quod suspectus esset

ſet populo; Palladium, delubrum, in quo Palladium custodiebatur, ſimulacrum ligneum verſatilibus oculis, quod Æneas cum penatibus ex Ilio transtulerat in Italiam, quod in templo Veſtæ repoſitum eſt poſtea, & traditum cuſtodiæ Veſtalis virginis. Fuit quoque ibi templum Cybeles; domus Auguſti Cæſaris, in qua ipſe natus eſt, cuius ruinæ adhuc ſpectantur altiſſimæ; *Bibliotheca* palatina, item balnea palatina, in quæ deriuabatur pars aquæ Claudiæ per aquæductus, qui adhuc hodie videntur in vinea Fædriæ Patricij Romani, verſus Circum maximum; veſtigia portæ veteris Palatii, quæ & porta Romuli dicta eſt. Ad radices montis Palatini, nempe ad columnas porticus Liuiæ, vicinum videtur templum S. Theodoſio dicatum: id olim conditum dicitur à Romulo, quo tempore bello Sabino Romani perterriti fugerent, eorumque fugam voto ſuſcepto rex cohibuit, poſtea Ioui Statori conſecrauit.

In deſcenſu ad Circum Maximum occurrit ſtatim locus depreſſior & excauatus: vnde ſub fornicibus amplis emanant aquæ copioſæ; ad quas mulieres

lieres suos pannos & lintea lauant, & hæ dicuntur esse fontis Nymphæ Iuturniæ in Velabro. Fornica'um vero illud opus, quod subterraneo ductu longe protenditur, pars est, cloacæ maximæ, quæ à Tarquinio structa est, vt esset receptaculum omnium sordium vrbis, quæ per subterraneos meatus ferrentur in Tyberim. Incipiebat enim hæc cloaca ex foro Romano ad Iouis Statoris ædem; deinde per Velabrum porrigebatur in Tyberim. Cuius amplitudo tam lata fuit, vt facilime sub eius fornicib. currus onustus ageretur. Legimus Censores aliquando vendid sse cloacæ huius immundicias, ad stercorationem agrorum, sexcentis ducatorum mill.bus. Quod cum ob ectum esset imperatori, respondit, Odor lucri bonus ex re qual.bet. Chiauica nunc vocatur. Illi vicinus erat Lacus Curtius; à Curtio dictus, qui se in voraginem præcipitem dedit armatum cum equo, vt auerteret pestilentem aerem, qui ex ea exhalabat, & Romam contagio malo infestabat. Prope cloacam maximam locus fuit Numæ Pompilio sacer & mysticus, in quo ne spuere quidē licebat vlli. In hoc loco Gallorū
Seno-

Senonum cineres reconditi erant;nunc Dolioli vocatur,propter dolia siue vasa fictilia,quibus cæsorum cineres continebantur,sepulta.

Ex omnibus Circi maximi ornamentis nihil fere superest præter loci circumscriptionem integram, qua eius amplitudo facile cognoscitur,longitudo nempe trium stadiorum cum dimidio, latitudo vero trium iugerum, capax erat hic Circus ducentorum & sexaginta millium hominum , alij restringunt ad numerum CL. millium . In eo loco Romulus primos edidit ludos Circenses in raptu Sabinarum. Versus Palatinum restant crebri porticuum fornices,quibus sedilia erant reposita , & testudines plurimæ secundum Circi ductum, quæ putantur fuisse officinæ negociatorum,quibus venales merces exponebantur populo,quæ frequens conueniebat ad spectacula. Alij existimant, fuisse lupanaria, in quibus habitabant meretriculæ corpore quæstum facientes. Huic Circo templum habuit coniunctum Neptunus,ad Palatini radices, post S. Athanasiæ delubrum ; cuius adhuc aliquæ videntur ruinæ, incrustatæ conchyliis marinis. Fuerunt etiam in hoc

hoc Circo erecti obelisci duo, quorum maior, præter basin, longus erat pedes centum & triginta duos, omnium, qui Romæ erant, maximus.

Naumachiæ locus, vbi Romana iuuentusse in exercitijs naualib. exercebat, hodie ostenditur, vbi crebræ aquarum lacunæ sunt & arundinum carecta. Vbi & aquæ illæ, quæ super Circo per canalem circa murum fluunt, pars sunt aquæ Claudiæ.

Ad læuam viæ Appiæ partem ingens Septimij Seueri moles attollitur. Nullum hoc ædificio fuit altiusRomæ. Septisolium vocat Plin. quod septem solaria contineret; nunc Septizonium dicitur. Hoc ab imperatore fuit erectum in tantam altitudinem, vt nauigantes exAfrica in Italiam hoc spectare possent è mari, & eius cineres (qui in apice supremo huius molis erant repositi) adorarent: erat enim Seuerus natione Afer. Ex tanto ædificio Septisolij, quod olim septem contignationibus in altum extollebatur, tres tantum nostro tempore restant contignationes: quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruinam minari.

Viæ Appiæ, quæ ab Appio Cæco

 senatore

ſenatore, lapidibus duriſſimis primum ſtrata eſt, reliquiæ quædam monſtrantur in via præcipue, qua itur Neapolim prope Priuernum & Circæum promontorium. Via noua autem dicitur ea pars viæ Appiæ, quæ à Thermis Antoninianis ducitur vſque ad portam Capenam: propterea quod id totum ſpatium pauimento nouo ſtratum eſt ab Antonino Caracalla, dum ſuas extruxit thermas, quæ ſub Auentino è regione Piſcinæ & tépli S. Sixti ſitæ ſunt. His nullæ videntur Romæ magis integræ præter Diocletiani.

Via noua ab Antoninianis thermis, qua reditus patet ad viam Appiam, eſt porta Capena, à Capena, vrbe vicina Albæ longæ. Alij Camœnam portam nominarunt à delubro Camœnarum, quod non procul fuit ab hac porta. Dicta eſt triumphalis, quod per eam olim duo Scipiones triumphis ſolennibus Romam inuecti ſunt: & nouiſſime Carolus V. Rom. Imp. Paulo III regnante triumphans deuictis Afris vrbem ingreſſus eſt. Porta hæc hodie dicitur S. Sebaſtiani: à templo eidem Sáncto conſecrato, quod abeſt à porta 2. paſſuũ millibus ad cæmiterium Calixti,

Calixti. Erecta quoque sepulcra magnificentissima ad hanc viam, magno numero vtrinque, adhuc fere integra. Ad dextram Almonis riu., qui Romam influens sub Auentino Tyberi insinuatur, ædificium altum est & rotundum, quod ex inscriptionibus inde erutis probatur fuisse sepulcrum Scipionum.

Appia via ad dextram relicta occurrit sacellum rotundum, quod vocatur Domine quo vadis. Eo loco d uo Petro Roma fugienti metu persecutionis occurrisse Christus dicitur: cui cum Apostolus dixisset, Domine quo vadis? Romam, Christus respondisse fertur, vt iterum crucifigar. Iuxta hoc sacellum multæ sunt sepulcrorum ruinæ, vbi, vt & in alijs plurimis locis, sub fornicibus integris cellulæ conspiciuntur, in quibus ordine concinno plenæ cineribus mortuorum vrnæ repositæ sunt. Ad hanc viam etiam paulo vlterius ad sinistram adhuc extant parietes ex coctilibus lateribus: qui pars sunt templi Fauni & Siluani. Atque in eadem via ad dextram partem non procul à Sancto Sebastiano

aliud templum, olim Apollini ſacrum, viſitur, integrum quidem ſed ornamentis vacuum, in quod opiliones ſuos noctu aut per æſtus recipiunt greges. Hinc ad ſiniſtram in vicinos campos ſeſe extendit via: in qua vix quadraginta paſſibus ab hac Apollinis æde, inter ſentes & dumos obſcuro loco cauerna eſt ſubterranea, cuius aditus, propter arbuſta & lapidum aceruos vix conſpicitur: ſed poſtquam in interiora huius loci fueris ingreſſus, videbis fornices arte diligenti conſtructas, quæ vtrinque habent repoſitoria oblonga, decem aut duodecim pedum, in quibus olim recondebantur mortuorum Chriſtianorum corpora, quibus ſolenniter aut aperte non licebat ſuos funerari. In harum fornicum ſubterranearum receſſu remotiore ſunt adhuc crebræ cellulæ, & quaſi locorum receptacula lampadibus applicandis idonea. Sub his cauernis obſcuris & ampliſſimis, vulgo aſſeritur Chriſtianos olim habitaſſe, & ſecreto latuiſſe; dum ſub imperatoribus perſecutiones crudeliſſimæ excitarentur: & hodie hæc loca dicuntur Stantie di Chriſtiani.

In templo S. Sebaſtiani, quod eſt ad viam

viam Appiam, deſcenditur per gradus in ſpeluncas ſubterraneas, quæ Cata-combæ vocantur, in quibus olim tyrannorum metu Chriſtiani latebant, dicunturque illic quadraginta pontifices martyrium ſuſtinuiſſe; ac cum ijs centum ſeptuaginta quatuor millia martyrum mortem pro religione Chriſtiana toleraſſe: vti ex inſcriptione apparet, quæ ad principium deſcenſus applicata eſt. Locus ſumma veneratione colitur, plenusque eſt pauore propter profunditatem & tenebras. In cum ſubire ſine facibus aut lucernis non eſt tutum: neque vltro citroque vagari ſine periculo quis poteſt: tam diuerſi videntur vtrinque cauernarum anfractus, & cuniculi ſeſe in omnem partem protendentes, vt labyrinthi ſpeciem præ ſe ferant. Adh bitis tamen facibus & accito conductore loci perito tuto licet per ſpatioſiorem meatum ad exitum peruenire. Sepulcrum vocatur Calixti. Inter cætera, quæ ibi videntur notabis, ad altare ſacelli læui oſtendi veſtigia pedum Chriſti in lapide: quæ dicuntur relicta eſſe in monte cum Dominus noſter ſpectantibus Apoſtolis in cœlum eſt aſſumtus. Huic S. Sebaſtiani

 templo

templo vicinum eft templum Gradi-
ui Martis, centum ingentibus colum-
nis marmoreis fuſtentatum, in eo o-
lim hoſtium legati audiebantur, qui-
bus in vrbem introitum non permitte-
bat ſenatus. Huius templi pars maior
corruiſſe ſcribitur precibus Stephani
pontificis, cum iuſſu Galieni cogere-
tur illic Marti ſacrificare. Prope hoc
templum ſeruabatur Manalis lapis,
quem Romani ſolenni pompa & cære-
moniarum veneratione in vrbem im-
portabant, vt elicerent pluuias. Infe-
riori loco ſuper via Appia videntur
ampliſſimæ ruinæ arcis prætoriæ, vt
putantur. Ad huius arcis ingreſſum vi-
dentur ſepulcrorum moles quadratæ,
pyramides obtuſæ & ſolidæ, Inter has
quæ eſt celeberrima, forma rotunda,
ex quadratis facta marmoribus candi-
dis, inſtar ampliſſimæ turris, intus
concaua, & parte ſuperiore aper-
ta, cuius muri craſſi ſunt circiter pe-
des viginti quatuor. ea mœnium an-
gulo adiacet, in cuius circuitu inciſa
ſunt marmorea boum capita, cute ac
carne nudata, vt in ſacrificijs fieri ſoli-
tum erat, quæ continentur lemniſcis &
faſciarum inuolucris, coniungentibus
fru-

fructuum, florum ac foliorum congeriem (festones vulgo dicuntur) & in interuallis patinæ repositæ sunt sacrificiorum Capita boum fere sunt ducenta, ideo Capo di Boi vocatur: voluntque antiquarij geminam Hecatomben factam esse in funere celebri Cæciliæ Metellæ. Ad radices collis, in quo turris hæc ædificata est, si quis integrum versum heroicum pronuntiet, Echo admiranda eundem reddet integrum & articulatum sæpius. Octies ad minimum integre, & postea aliquoties confuse. Nusquam gentium eiusmodi Echo auditur: quæ ideo tanto dicitur excitata artificio, vt in funere huius Cæciliæ plorantium eiulatus, exclamationes & planctus funebres in immensum multiplicarentur, dum Hecatombe illa celebraretur duplex, & ludi funebres in honorem matronæ præberentur.

Sub hoc colle, loco depresso, sunt adhuc ingentes circi Hippodromi ruinæ, omnium, quæ hodie videntur, integerrimæ, vbi sese curru, equitatione & quadrigis quotidie exercebant milites. Extolluntur que hic altissimi muri, suis interuallis distincti, vbi erant stabula, quibus equi claudebantur,

edocebanturque ad certamina equestria quæ in hoc Hippodromo exhibebantur. In planitie superiore super circo templum est integrum quadrata structura, cum suis columnis & porticu anteriore, id fuit olim sacrum Deo ridiculo. Quod Hannibal post stragem Cannensem, qua ceciderunt ciuium quadraginta millia, cum ad vrbem obsidendam copijs victricibus properasset, eo loco castra posuit : audito risu effusissimo perterritus abiuit, & obsidionem vrbis reliquit: in qua si pertinacius institisset, vt erant omnia metu ac pauore consternata, sine magna difficultate potuisset Roma potiri : Romani post eius discessum Deo ridiculo consecrarunt fanum.

Non procul à porta Latina erectum est templum rotundum in honorem S. Ioannis Euangelistæ: qui dicitur eo loco cruciatus oleo & igne. Inde ad portã Gabiusam itur, quæ sicut & Latina, muro clausa est, & obstructa. Ad dextrã conscenditur ad Cœlium collem, qui olim Querquetulanus dicebatur, à quercuum frequentia, antequam illum inhabitarent Hetrusci . In Cœliolo templum Sancti Ioannis Euangelistę, olim Dianæ

næ facrum fuit; hic Cœliolus appendix Cœlij eft. In fummitate Cœlij templum eft rotundum, Sancto Stephano dicatum à Simplicio pontifice, quod fuit olim Fauni fumtuofiffimum delubrum: fed temporis iniuria femidirutum, reftauratum eft à Nicolao V. P. M. in ea forma, qua videtur hodie. Curia Hoftilia fuit olim, vbi nunc eft templum SS. Ioannis & Pauli verfus Septizonium Seueri. Albanorum manfiones in ea parte Cœlij fuerunt, quæ fpectat Auentinum, vbi hodie fitum eft templum Sanctæ Mariæ in Dominica, prope quod videtur aquæductus aquæ Claudiæ. Caftra peregrina, ita dicta (in quibus diuerfabantur fub Augufto nauales copiæ, quas imperator ad Mifenum detinebat) olim fuerunt, vbi hodie eft templum quatuor Coronatorum. Palatium Conftantini magni, cuius adhuc magnificentiffimæ fuperfunt ruinæ, fuit inter portam Gabiufam & Cœlimontanam, nunc S. Ioannis dicitur. Lateranorum Bafilica nomen fuum retinet, fedes olim pontificum Romanorum, cuius fe vocant Epifcopos: fed poftea ducti amœnitate collium Vaticanorum, in eum

locum se contulerunt, vbi palatium celeberrimum incolunt, cum templo S. Petri coniunctum. In hac Lateranensi Basilica locus ostenditur orbiculato ædificio & altissimis fornicibus. Locus hic vocatur Basiliscus Cõstantini. Fama est Constantinum Magnum lepra laborantem, suasu medicorum voluisse lauari in sanguine puerorum, atque ideo sumtuosum hoc ædificium præparasse; sed monitum ab Angelo in somnis, vt aqua baptismi ablueretur in nomine Iesu Christi Dei veri, quem Helena eius mater colebat, imperatorem obtemperasse monitis cælestibus & baptizatum fuisse in eo labro porphyritico, quod adhuc media Basilica videtur. Sed fides sit penes lectorem; neque enim verisimile est ad tam barbarũ nefas patrandum tantis sumtibus extructurum fuisse cum hoc ædificium, quod potius tegi & celari oportuit, quam vana ostentatione publicari; quid quod ab Episcopo Nicomediensi baptizatum tradunt historiæ, cum in Asiam venisset? Puto itaque fuisse balneum Laterani Palatij quod eousque protendebatur.

Alij tamen non minus fide digni scriptores historiæ huic fidem adstruunt,

unt. Quicquid, sit, certum est, Constantinum Magnum suscepta Christiana Religione, in hoc templo baptizatum: quemadmodum illud ipsum Baptisterium adhuc ibi ostenditur, in quo similiter hodieque ad fidem Christianam conuersi, sacro lauacro tinguntur. Hoc vero ipsum templum S. Ioannis in Laterano primum ac præcipuum est inter septem principalia, ex quo intelligi potest quantum reliquis antecellat. Ante templum pulcerrimus magna cũ admiratione visitur Obeliscus, totus hieroglyphicis inscriptus litteris: quem Sixtus V. Pontifex inter alia publica à se perfecta opera, erexit, & S. Cruci dicauit.

Illi de quo paulo ante diximus ædificio vicina sunt ad dexterã sacella quędã sacra in quib. multa marmora preciosissima, quibus parietes incrustrati sũt, cõspiciuntur, & columnæ Hierosolymis adportatæ Romam. Ad sinistram duæ sese attollunt columnæ marmoris flaui Mischij: quæ manu confricatæ & attritæ suauissimum emittunt odorem; qualis est violarum cum lilio. De ijs diuersæ narrantur à Regina Æthiopum Salomoni donatas, & alia

plurima pleraque inepta & ridicula.

In templo Lateranensi summorum Pontificum ossa sunt recondita: vbi omnia ex marmoribus preciosissimis facta sunt, tanto studio & industria, vt nihil vsquam gentium videri possit absolutius. Ad summi chori latus sinistrum parieti applicata est tabula ænea characteribus antiquis leges & senatusconsulta sub Vespasiano referens. Sub hac tabula est tumba sepulcri Laurentij Vallæ, qui canonicus erat huius templi. Ante chorum erectæ sunt quatuor ingentes columnæ æneæ; opere concauo, sed quæ repletæ sunt terra sancta, quæ ex sepulcro Christi Romam adducta est. De his columnis dissimilia narrantur.

In Basilica Laterana, quæ integra est & antiqua, cœnaculum est Rotæ amplissimum: in quo pontificum & senatus Ecclesiastici, cardinalium & archiepiscoporum habebatur consessus, cum de rebus magnis tractandum esset. Tres ille portæ altissimæ & marmoreæ, quibus in cœnaculũ patet ingressus, ex prætorio Hierosolymitano sunt aduectæ. Inde per amplissima deambulacra relicto S. Mariæ Gratiarum sacello, super

sca-

ſcalis ſanctis duræ ſunt cathedræ ex porphyro pertuſæ,de quibus hæretici varia & vana iactant. Inde deſcenditur per gradus marmoreos ſummæ reuerentiæ ac deuotionis: erant enim gradus Prætorij Hieroſolymitani , per quos Christus virgis cæſus Pilati iuſſu ſanguinolentus populo eſt propoſitus:& in iis craticulę aliquot æneæ deauratæ videntur applicatæ marmori,quæ guttas ſanguinis ſeruatoris tegunt . Tanta in veneratione habentur , vt piaculum morte dignum habeatur,eos pedibus contingere: Geniculatim per hos ad altiora loca conſcēditur: ſuntque ita excauati veſtimentorum attritu,vt cum difficultate maxima conſiſtere quis in iis poſſit: propterea ad latus alii gradus lapidei ſunt erecti,per quos commode aſcenditur & deſcenditur.Eodem in loco ſuper gradibus ſanctis columna albicantis marmoris demonſtratur, in duas partes diu ſa ab epiſtylio ad baſim,ea parieti adhæret;& creditur fuiſſe ad ingreſſum Sanctuarii templi Salomonis, quæ Chriſto in cruce Spiritum Deo patri reddente, cum velo templi rupta eſt & in partes ſeparata.Vbi patet ingreſſus in Sancta Sanctorum,ſacellum eſt ſumma vene-

ratione cultum in quod nulli licet mulieri introire: in eo seruatur arca fœderis, virga Aaronis, mensa cœnæ Dominicæ, Manna sacrum, vmbilicus & præputium Christi, eiusque sanguinis phiala vna, spinæ aliquot ex eius corona, clauus vnus integer, quo Christus affixus est cruci, frænum equi Constantini Magni, quod confectum fuit ex duobus pedum clauis, nam ex quarto conflata est lamina, quæ diademati aureo imperatoris apposita est. Eodem in sacello ostenduntur plurimæ reliquiæ, quæ summa deuotione à Romanis obseruantur.

In vltima montis Cœlij parte templum est S. Crucis in Hierusalem: olim sacrum Veneri & Cupidini: in eo seruatur pars Crucis Dominicæ, & crucis titulus scriptus linguis tribus; denarius vnus ex triginta, quos Iudas proditor recepit pro precio venditionis domini, & alia plurima. Ibidem est sacrum sacellum subterraneum, ab Helena Constantini matre conditum, in quod semel tātum quotannis patet ingressus matronis.

Prope ductum aquæ Claudiæ, versus Cœlium, Xenodochium est Lateranum.

Lateranum opulentiſſimum & rebus omnibus, quæ ad excipiendos hoſpites cuiuscunque conditionis aut ſtatus ſint, inſtructiſſimum. In eo ſunt cubicula, quibus principes & nobiles excipiuntur cōmodiſſime, Pharmacopolarū apothecæ refertæ ſunt omni genere medicamentorum exquiſitiſſimorum: neque quicquam poteſt excogitari, quod ad ægrorum neceſſitatem conducere poſſit, quod ibi non inueniatur, & officioſe omnibus præſtetur. Idque in cauſa eſt, vt multi nullius rei indigentes, cum in morbos inciderunt, eo ſe de portari curent, ac propriis impenſis curari.

Paulo vlterius ſe offert ſtupenda illa & admirabilis Amphitheatri moles. Hoc Coliſæum vulgo vocatur: à Coloſſæa ſtatua, quam Nero illic erexit centum & viginti pedes altam. Huius Amphitheatri tanta fuit altitudo, tam concinna ſtructura, vt nihil admirabilius Romæ videri poſſit. Triginta ſeruorum millia tantum opus perfecerunt ſpatio vndecim annorum. Capax fuit octoginta ſeptem millium hominum, qui commode in gradibus & ſubſellijs poſſent ſedere, & ſpectare ludos,

re ludos, qui media cauea quotannis exhibebantur. Ad sinistram erectus est Constantini Magni triumphalis arcus, à Romanis positus post deuictum ad pontem Miluium, Maxentium. Extat adhuc integer cum suis victorijs & statuis. Ante Colisæum super via, qua itur ad arcum Titi Vespasiani, ædificium est altum & arctum, testudinatum & acutum in speciem pyramidis rotundæ. Hoc vocabatur Meta sudans: quod inde manarent aquæ copiosæ & vberes, ex quibus bibebat populus, qui in Amphitheatrum ad publica spectacula conueniebat. In palatio Maffæorum, quo ab Amphitheatro, Capitolio ad læuam relicto, rectà itur, plurima videntur antiquitatis monumenta, epitaphia, inscriptionesque & eiusmodi reliquiæ priscæ venustatis, quæ mirifice delectant peritiorum artificum, & literatorum hominum oculos, & ingenium excitant.

A posteriori parte templi S. Apollinaris antiquissimi prope domum Cardinalis Paceci Hispani, quod olim Apollini sacrum fuit, templum est

est S. Augustini, in quo Monicæ eius matris sepulcrum ostenditur. Amplissimum illud forum, quod à templo Apollinaris, & palatio ducissæ Parmensis, vsque ad Gallorum templum, quod S. Ludouico dicatum est, extenditur, nunc in Agone dictum, circus fuit Agonalis; in quo Agonalia certamina, & agonales ludi, in honorem Iani à Numa Pompilio celebrari cœpti sunt. Thermæ Alexandrinæ, Hadriani & Neronis ibi postea extructæ sunt.

In ædibus Episcopi Sauli prope Agonem, in cœnaculo ostenditur caput M. Tullij Ciceronis. Apud Alexandrum Ruffinum, prope templum S. Aloysij, simulacrum est Iulij Cæsaris armatum quasi colosseum: cuius crura sunt ocreis antiquis eleganter circumducta: è regione est Octauius Cæsar eiusdem altitudinis & vestimenti. His duabus statuis vix Romæ quicquam spectatur rarioris artificij. Inter templa S. Eustachii & Mineruæ videntur ruinæ quadratæ & longæ: reliquias quidam asserunt esse templi boni Euentus: qui colebatur ab antiquis, vt consiliorum & rerum, quas homines pera-

peragendas aggrediebantur, felicem & expectatum finem largiretur. Eius statua formabatur habitu plebeio, læta facie, dextra tenebat craterem, sinistra sertum ex spicis.

Fornices illæ rotundæ & altæ, quæ spectantur eo loco, qui Ciambella dicitur; partes sunt reliquiarum thermarum M. Agrippæ. Prope quas Nero quoque thermas ædificari curauit sumtuosissimas: quarum vestigia cernuntur satis ampla à posteriore parte templi S. Eustachij.

M. Agrippa prope suas thermas construxit templum architectura & sumtibus admirandum. Nullum in vrbe antiquius, nullum integrius aut splendidius extat hodie Hoc quia D.js omnibus sacrauerat Agrippa, Pantheum vocatum est; hodie dicitur S. Mariæ rotundæ delubrum. Estque omnino sphæricum seu rotundum: caret fenestris: lucem admittit ingenti orbe, qui apertus est in summitate fornicis. In medio locus est profundus, & erate ænea tectus, ad excipiendas aquas pluuias. Fuit olim laminis argenteis coopertum; sed Constantinus Heraclij

raclij nepos eas abstulit cum reliquis vrbis ornamentis: quarum loco restitutæ sunt plumbeæ à Martino VII. P. M. Aditus olim ad portam patebat gradibus septem, qui templum in circuitu cingebat, nunc vndecim ad eam descenditur Vnde apparet, quantum ex ædificiorum ruinis solum vrbis accreuerit. In hoc Pantheo sepultus est Raphael Sanctus Vrbinas, pictorum nostri seculi princeps.

Non procul à Pantheo Mineruæ suum habuit templum, quod occuparunt hodie Dominicani, retento nomine antiquo; vocatur enim S. Maria della Minerua. In eo pauca videntur antiquitatis monumenta, præter paucas inscriptiones, quæ in repositorijs aquæ lustralis & altaribus leguntur.

A posteriore parte S. Mariæ rotundæ, cum descendis à via lata, eo loco vbi Iesuitæ habitant, erectus est arcus antiquus, rudis, & omni ornatu nudus, qui Camillianus vocatur. Hunc à Camillo extructum putant, sed falso: nam primum sub imperatoribus hæc opera publice sunt excitata.

In

In domo Nicolai Stagni, prope arcum Camillianum retro Mineruæ templum, est Herculis statua nuda, cuius caput tectum est leonino rictu, corio circa collum inuoluto: quæ nisi pedibus carêret, posset reponi inter præstantissimas, quæ tota Roma seruantur. In domo Pauli de Castro demonstratur caput Socratis, cum toto pectore, & alia multa notatu digna, quæ spectatorem mire recreabunt. Prope arcum Camillianum super platea iacet pes colosseus ingentis magnitudinis, qui indicat altitudinem monstrosam, & artificium stupendum statuæ, cum esset integra. Omnia illa, quibus olim forum Neruæ erat exornatum, aut vetustate perierunt, aut alio translata sunt: proinde parua admodum eius hodie extant vestigia, sicut & Fori Traiani, quod fuit inter Capitolium, Quirinalem & Forum Augusti. Ex quibus ornamentis Fori Traiani sola columna cochlis superest, quæ notas manifestas præbet imperatorij splendoris. Alta est pedes 128. præter basim, quę cum columna efficit 140. structa est lapidibus viginti quatuor, tantæ vastitatis, vt opus videatur non ab hominibus sed à gigantibus

tibus perfectum: singuli lapides siue partes columnæ continent gradus octo; per hos patet ascensus ad superiora, per interiorem partem concauam: Lumen præbent ascendentibus fenestellę 44. Nihil potest vsquam gentium videri admirabilius, nihil magnificentius. Erecta est in honorem principis, vt ostenderetur, quantæ altitudinis mons egestus esset in eo loco, Hanc columnam non vidit erectam bonus imperator, qui tunc occupatus detinebatur bello Parthico: & in reditu, sanguinis fluxu mortuus est apud Seleuciam in Syria; eiusque corpus Romam translatum est; & in summitate columnæ pila aurea eius ossa recondita sunt. Duæ illæ columnæ, quæ videntur prope *S. Mariæ* de Laureto templum, reliquiæ sunt porticus Traiani.

Suburram, vicum patricium, Exquilias, arcum Galieni & macellum Liuianum studio hic omittimus, quamminimum. n. de eorum structuris hodie visitur.

Templum Isidis, nunc S. Mariæ maioris (ad quod à temploS. Viti sursum itur) insignem habet structuram auro & marmoribus peregrinis exornatam

tam, Sustentatur enim altissimis columnis marmoreis Ionicis. In eo sepultus est Hieronymus. ibi ostenditur imago Mariæ virginis, quæ creditur depicta à S. Luca Euangelista. Prope hoc templum sacellum est S. Lucæ sacrum, versus fanum S. Potentianæ: in cuius colle accliui fuit olim lucus Iunoni summa religione sacer.

A templo quadraginta martyrum ad templum S. Clementis versus Amphitheatrum ruinæ sunt ingentes, Thermarum Titi Vespasiani, ac eius Palatij in quibus adhuc amplissima spectant ædificia subterranea, quæ dicuntur *le sette Sale*. Erant enim castella siue aquarum receptacula, quæ ad lauacra thermarum erant necessaria. In vineis adiacentibus Feliciorum visuntur adhuc integri fornices, in quibus picturæ Grotelcorum apparent venustissimæ. Pertinabant enim concamerata hæc loca ad palatiū Titi Et in his reperta est illa Laocoontis statua, cū duobus filijs, quæ in palatio Vaticano Pontificum cum tanta spectantium admiratione demonstratur.

Prope templa SS. Iuliani & Eusebij, moles quædam lateritia & alta extollitur,

tur, in qua fuerunt castella aquæ Martiæ: in huius molis superiore parte erecta sunt trophæa, hoc est, armorum & spoliorũ congeries alligata trũco arboris. Hæc omnia sũt ex marmore posita bello Cimbrico in honorem C. Marij: quæ cum Sylla euertisset, à Iulio Cæsare sunt restituta in integrum.

In vineis prope S. Eusebiũ, à posteriore parte trophæorum Marij, magnæ sũt ruinæ thermarũ Gordiani: prope quas idẽ imperator splendidũ erexerat palatiũ; quod ducẽtas habuit in duplici ordine colũnas marmoreas. Sed de ijs omnibus, præter ingentes murorũ spõdas nihil videtur admodum notabile: cũ ex ijs postea ad nobilium domos translata sint omnia ornamenta.

Per portam Tiburtinam siue Exquilinam, quæ nunc S. Laurentij vocatur, sumtuoso aquæ ductu introducitur in vrbem aqua Martia: quem primum Q. Martius extruxit, postea vetustate consumtũ restituit Agrippa: deducebatur hæc aqua per millia triginta quinque antequam vrbem contingeret: & per campum Exquilinum deriuabatur ad thermas Diocletiani, & ad loca vicina;

vicina: salutifera enim fuit, ideo potui ciuium maxime accommoda.

Paulo vlterius pons est Mammeus: sic dictus à Mammea Iulia matre Alexandri Seueri imperatoris: cuius impensis pons est restauratus: nunc vulgo vocatur Ponte Mammolo. Via Prænestina ab hac porta Exquilina ducebat Præneste: & ab hac quoque oriebatur Labicana via, quæ ad Labicanos, hoc est, ad Valmontonem ferebatur.

Pars illa Exquiliarum, quæ est prope templum S. Laurentij in Fontana, vocabatur Cliuus Virbius: prope quem Auguralis erat lucus: ad quem Seruius Tullius habitauit: ibique dictus est vicus sceleratus, quod in eo Tullius à genero cæsus est, & per patris mortui corpus filia currum agere iussit aurigam, & hic sceleratus vicus habebat suum principium ab hoc loco plano, & extendebatur vsque ad busta Gallica: vbi Galli Senones cæsi, cremati & sepulti sunt per Camillū: locū hodie vocant Porto gallo: vbi structū est téplūS. Andreæ ad busta Gallica: vicus hic sceleratus vocatus est & Cyprius. In summitate vici sce-

lerati

lerati. Telluris templum antiquitus ita dictum, hodie S. Pantaleoni dicatum est. Ex ruinis arcus triumphalis Gordiani constructum est templum S. Gregorij in Damaso. Vestigia templi Siluani prope S. Agathæ templum, ampla hodie videntur. Porta Viminalis hodie porta S. Agnetis vocatur. Remotius aliquanto in via Numentana, pons est Numentanus, à Narsete Eunucho structus, vt docet inscriptio. Nero imperator inter hanc portam Numentanam & Salariam, habuit suburbanum ædificio singulari, quod Liberto donauit: & in eo supplicium publicum metuens, pugione sub papillam adacto, adiuante Sporo liberto, sibi mortem consciuit. Huius suburbani aliquot ruinæ sunt adhuc superstites.

Porta Querquetulana hodie clausa est, extra quam videntur mœnia erecta forma quadrata: reliquiæ sunt castelli, in quo diuersabantur milites, qui custodiæ Diocletiani imperatoris erant destinati.

In dorso Viminalis admirandæ vastitatis & sumtuositatis videntur Diocletiani thermæ semiditutæ nullæ tamen in vrbe sunt magis integræ. In

T his

his construendis quadraginta Christianorum millia, per annos quatuordecim seruili more dicuntur esse vexata. Hodie vocantur *alle Termine*: & locus ille subterraneus (qui dicitur *labotta di Termine*) castellum est siue receptaculum aquarum, quæ ad lauacra erant necessariæ. Ad has thermas magnificentissimum struxerat palatium Diocletianus: quod testantur ruinæ testudinataq; ædificia adhuc fere integra: & ingentes columnarum bases, quæ ibidem inuentæ sunt. In eo fuit illa celebris Bibliotheca Vlpia, in qua libri seruabantur Elephantini. In harum Thermarum parte dextra, Bellaiani sunt horti amœnissimi; in quibus videntur plurimæ statuæ artificiosissimæ suis loculis applicatæ, & in deambulacris dispositæ. Muri fere omnes, Punicis & Medicis arboribus, cedris, cyparissis, myrtis & lauris in speciem peristromatum concinne tecti, non mediocrem voluptatem præbent. In alia thermarum parte postrema, vbi eleuata sunt ædificia concamerata & ampla (quæ vocantur *le Botte*) templum est S. Susannæ, quod olim fuit sacrum Quirino. In eo enim loco Romulus in cœlum

antea

antea translatus, Proculo Iulio Alba redeunti creditur apparuisse: propterea illi à senatu diuini sunt honores tributi, & templum positum. Totus ille cliuus vocabatur olim Vallis Quirinalis, quod in ea Romulus Proculo venit obuiam, & varia cum eo communicauit.

Vallis illa, quæ est inter Diocletiani thermas, & templum S. Mariæ maioris, continuit Olympiadis balnea, quorum adhuc vestigia demonstrantur non procul à templo S. Laurentij in Palisperna. Iuxta delubrum S. Prudentianæ sunt adhuc multæ ruinæ balneorum Nouati. Vbi vero ædes est S. Vitalis ad principium montis Quirinalis, olim fuerunt balnea Agrippinæ matris Neronis; cuius ibi adhuc extant ruinæ. In templo S. Laurentij in Palisperna, demonstratur marmor ingens summa veneratione & religione cultum, in quod S. Laurentij corpus assatum & vstulatum repositum est post eius mortem.

In via ad montem Quirinalem, quem hodie vocant Monte Caballo, occurrunt horti cardinalis Carpensis qui omni ornamento antiquitatis pleni sunt: His enim nihil tota Roma, imo si ausim

dicere, tota Italia, videtur amœnius, nihil magnificentius. Neapolis multos habet hortos insignes fontibus, herbis & arboribus, maxime Toletanos, qui Chiaiæ vocantur; sed præter amœnitatem situs & aquas vberes frigidas & salubres, pauca habent antiqua. In his Carpensibus nihil desiderari potest, nihil excogitari ab homine, quod non reperiatur: tanta marmorum peregrinorum varietas, statuarum excellentia & pulcritudo, inscriptionum numerus & diuersitas (quarũ plusquam CXXXVI numerantur, diuersis figuris artificiosissime sculptæ) vt omnia ad miraculum & delicias tanquam in Paradiso aliquo proposita esse videantur. Ante cætera fontis illius congrua concinnitas, & artis admirandæ singularis perfectio, reliqua omnia, quæ ibi spectantur, videtur præcellere. Quæ etsi à diuersis auctoribus summis laudibus celebrata sint, præsentia tamen famam videtur superare.

In monte Quirinali sunt horti magnificentissimi Cardinalis Ferrariensis, quibus nulli videntur Romæ arborum diuersarum cultu splendidiores, & ædificio mirabilis artificij, quæ ex arboribus

ribus confertis simul & implicatis labyrinthum efficiunt. In dorso Quirinalis colossæ sunt duorum virorum statuæ, quæ frænis duos ingentes equos marmoreos impediunt. Ab his equis mons Caballinus vocatus est. Et hos fama est Romam aductos à Tyridate Armeniorum rege, & dono datos Neroni, qui vt regem peregrinum Romano splendore exciperet, Pompeii theatrum, in quo ludos exhibuit, laminis aureis tridui tantum spatio sterni curauit. Quam magnificentiam non tam admiratus est rex barbarus (qui non ignorabat Romam esse receptaculum diuitiarum totius orbis) quam diligentiam & solertiam artificum, qui tam breui tempore tantum operis potuissent conflare & perficere. E regione harum statuarum vastissimæ conspiciuntur & altissimæ testudines; quæ sunt reliquiæ Oratorij Neronis; quod cum suis hortis habuit coniunctum. Spondæ enim murorum ingentes ab hoc loco per cliuum vsque ad inferiorem Quirinalis partem, vbi est palatium Liuiæ Columnæ, protenduntur, quæ satis indicant magnificentiam & amplitudinem domus imperatoriæ: in cuius elatiore

parte altissimum sese extollit fronti-spicium, quod vulgus vocat il Fronton di Nerone. Ex hoc Nero spectauit vrbis incendium, quod ipse per incendiarios secreto excitauerat, & Christianis imputauit, vt eos inodium senatus populique adduceret: edictoque publicato quotquot Christum fatebantur Deum, comprehensi, & in Neronis hortis flammati sunt & crudelissime excarnificati.

Videntur in alia Quirinalis parte, arcus, fornices & cellæ subterraneæ plurimæ; ea omnia sunt Thermarum Constantini Imp. reliquiæ; Sacellum Neptuni in vineis Bartholinorum; Balnea Pauli Æmilij, vulgo Bagnanapoli, quorum exiles supersunt reliquiæ; Domus Corneliorum hodie il vico de Cornelij: & templum S. Saluatoris de Cornelii, quod olim fuit Saturno & Baccho sacrum; Alta Semita, hodie porta, S. Agnetis. Fuit & ibi Suburra plana, & paulo remotius templum Siluani. In apice Quirinalis, fuit templum Apollinis & Clarræ: & sacella Iouis & Iunonis, Capitoliumque vetus; horum nullæ fere supersunt reliquiæ Forum & domus Salustii non fuit procul à templo S. Su-

S. Susannæ, eo loco, qui dicitur hodie Saloſtrico. Videtur ibi adhuc obeliſcus paruus Ægyptiacis ſignatus, qui dedicatus fuit Lunæ. In deſcenſu Quirinalis verſus forum Neruæ, turris alta ſe extollit, quam Torre meza vocant hodie. Ea pertinuit ad Mœcenatis domum: ad quam hortos habuit cultiſſimos: & ad hos ſæpius ſe conferre ſolitus erat Auguſtus, Cæſar, vtcū amico ſe oblectaret, dum ſe à curis grauioribus vellet extricare.

Non procul à turre di Comti ſunt domus Aſcanij Magarozzi & Euryali Siluestris antiquitatum memorabilium monumentis inſtructiſſimæ.

Fanum Neptuni, quod olim dicebatur ſitum in eo loco, qui dicitur Riperta: in eo naufragi tabulas ſuæ fortunæ ſoliti erant appendere, & vota ſuſcepta pro ſua conſeruatione ſoluere: nunc dicatum eſt S. Blaſio.

In valle Martia ad templum S. Rochi videntur ingentia ædificia Mauſolei Augusti; Hoc Mauſoleū ſtructū eſt ab Octauiano Cæſare, vt in eo ſepeliretur, ac poſt eum reliqui imperatores ex familia Cæſarū: eodem in loco priuſerectū fuit Amphitheatrum ſiue Circus à Iulio

Cæsare, quem Augustus in sepulcretum convertit: huius circumferentia cernitur adhuc fere integra & superstes, opere per rhombos distributo. In domo Fr. Soderini ostenditur statua Pasquini spectantis Anteum mortuum: hanc maxime commendat Michael Angelus. In hac mole Mausolei duo fuerunt erecti obelisci singuli pedes XLII. longi, quorum vnus iacet fractus in via Flaminia ante templum S. Rochi; alter semisepultus terra cernitur in hortis posterioribus. In hoc tractu fuerunt olim Circus & porticus Augusti, lucus Deorum Manium, sepulcrum Marcelli, naumachia Domitiani, vallis Martia, & via Flaminia.

Extra portam Flaminiam inter hortos Franciscus Ragaterius habet cultissimum & elegantibus simulacris ornatum. Ad hanc viam Iulius III. P. M. vineam extruxit, cuius ornamenta sumtu & magnificentia superant ea omnia, quæ Romæ conspiciuntur. Ad principium huius vineæ erectæ sunt, in palatio magnificentissimo, multæ imagines senatorum & patritiorum virorum. Fons quoque positus est in eodem loco: in quo nescias an magis ingenium arti-

artificum, quam sumtuositatem & splendorem pontificum laudare debeas.

Sunt & alia ædificia in collibus vicinis extructa, ad deambulationes æstiuas: quorum quod est celeberrimum, in montis cacumine, duos habet obeliscos erectos cum pyramide altissima: cui sphæricum horologium superimpositum est: In eo ventorum omnium signa summo notata artificio designantur, & discrimina singulorum cognoscuntur. Ad hoc palatium hortus est amœnus, spatiosus, & alto muro cinctus, quem inscriptiones antiquæ & marmora diuersis sculpra figuris exornant, numero centum & vltra. Ibidem sunt duæ statuæ precij maximi, vna Termini, alia Suriæ siue Naturæ. Huic ædificio vicinus est alter hortus superiore paulo amplior: vitium concamerationes altissimæ fulciuntur & sustentantur terminis marmoreis antiquis octodecim, qui vice columnarum seruiunt: Ex Græcia Romam adportati sunt fere omnes. Paulo vltra Pons Tyberi superpositus videtur, quem Ponte Mole vulgus vocat, etat antiquis Pons Miluius: ad quem habito conflictu cum Maxentio Romæ tyrannidem occupan-

te Constantinus Magnus victor euasit: tyrannus vero in fluuiũ cũ equo se dedit præcipitem, ne in hostis potestatem veniret, & in triumphum duceretur, ludibrioq; populi ad supplicij pœnas traheretur. Hac victoria salus & libertas vrbi restituta est: & in rei memoriã imperatori bene merito, victori ac triumphatori conditus est ille arcus, qui adhuc integer superest inter Colisеum & Septizonium Seueri.

In summitate vallis Martiæ occurrit arcus Tripoli, vel di Portogallo. Fuit hic arcus olim Domitiano sacer incultus & rudis, neque vllum habet ornamentum, præter Domitiani imaginem, quam tamen nonnulli afferunt esse Claudij Imp.

Templum S. Laurentii in Lucina fuit olim sacratum Iunoni Lucinæ, nomenque antiquum retinuit: in hoc antiquitus puerperæ & prægnantes post partum vota soluebant, quod Deæ beneficio liberatæ essent, & infantibus superstitibus vita esset seruata.

In via Flaminia, quæ vocatur Strada del Popolo, domus sunt aliquot, in quibus multæ videntur statuæ antiquæ, vt: Domus Pauli Ponti, Francisci Aragonij, Gard.

Card. Sarmoneti & Ambrosij Lilii.

Campus Martius planitiem eam totam complebat, quæ à Quirinali protendebatur vsque ad pontem Xistum & Tiberim. Non procul à templo S. Laurentij in Lucina, in cellis vinariis multarum ædium, videtur ingens obeliscus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis hieroglyphicis illustris: quem ex Hieropoli transferri Romam iussit Augustus Cæsar, cum duobus alijs, quos statuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes scribit Plinius: atque in eo interpretationem philosophiæ Ægyptiorum contineri.

In ea campi Martii parte, quæ vocatur hodie la piazza di Sciarra, Antoninus Pius erexit altissimam columnam cochlidem, altam pedes CLXXV. fenestellas habet LVI. quæ lucem præbent intrinsecus. Quidam asseruit esse confectam ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res gestas Antonini sculptura figurarum excellenti. ab hac vocatur ille locus in Colonna.

Vndecim illæ columnæ altissimæ, quæ ad templum S. Stephani in Truglio conspiciuntur erectæ, sunt reli-

reliquiæ porticus, quam Antoninus Pius struxerat in suo foro, coniunctam cum suo palatio. Inter columnam cochlidem Antonini, & fontem aquæ virginis erant septa campi Martij. Erat autem is locus vallatus tabulato denso, in quem conueniebat populus suffragia laturus, quando magistratus erant el gendi. Collis ille qui aliquantulum eminentior tollitur in campo Martio, inter Antonini columnam & S. Laurentij in Lucina (quem hodie Monte-A citorio nominant) fuit antiquis mõscita orum, in quem ex septis se recipiebant singulæ tribus post lata suffragia. In eodem colle fuit Curia, quæ Villa publica dicebatur: in qua recipiebantur hostium legati, quibus non licebat vrbem ingredi, vel in Græcostasi diuersari.

Haud procul hinc est fons aquæ virginis, humili & depresso aquæductu per Campum Martium influens: hodie fonte di Treio dicitur. Et hæc sola ex omnibus aquis, (quas tantis sumtibus & aquæductibus tam sumtuosis antiqui principes in vrbem introduxerunt) remansit superstes ad vsum ciuium. In hoc Campi Martij tractu sunt

sunt ædes aliquor, vt, Pompilij Nari, Gaddiorum, Desiderij Vrsati, Antonij Gabrielis, in qu bus multæ visuntur antiquæ statuæ. In primis vero palatium cardinalis Carpensis: in quo tot statuæ, tot inscriptiones videntur, vt mirari nemo satis possit studium tanti viri in exquirendis ijs, quæ ab antiquitate peruenerunt ad nostra tempora, magna omnium doctorum vtilitate & voluptate. In primis repositum est ibi in quodam cœnaculo Veneris nudæ corpus, cuius artificium superat reliqua omnia, quæ Romæ sunt: Id si esset plànè integrum, nulla esset toto mundo statua, quæ huic conferri posset; neque abs re creditur esse Veneris Cnidiæ toto orbe celebratæ. Prope hanc venerem est iuuenis non minoris artificij: in quo tanta est membrorum proportio, tam elegans & pulposa masculorum conuexitas, vt sculptorum & omnium artificum oculos cum summa admiratione fixos detineat. In alio Musæo huic cænaculo contiguo statuæ duæ sunt, Satyri & pueri plorantis: quibus nihil elaboratius aut artificiosius; multaque præterea omnis generis, quibus Roma nihil possidet magnifica-

nificentius, nihil admirabilius.

In colle Pinciano, à Pincio à senatore ita dicto, fuit sepulchrum Domitiorum, in quo Nero sepultus est. In elatiore collis parte videtur arcus siue concameratio fornicata, quæ olim fuit pars templi Solis. Prope quam est templum S. Trinitatis, à Ludouico XI. rege Galliæ structum. Non procul abhinc iacet obeliscus ex lapide Thasio factus cum hac inscriptione: *Soli sacrum*. Prope Collinam portam non procul à templo Susannæ Salustius habuit hortos amœnissimos & splendidas ædes: quarum ruinæ adhuc sunt superstites in ea valle, qua itur ad portam Salariam. In media hortorum parte videtur obeliscus non adeo magnus, literis signatus Ægyptijs hieroglyphicis, qui Lunæ sacratus est. Locus adhuc hodie vulgo dicitur Solostrico. Campus scelerarus siue via scelerata (in qua Vestales virgines, quæ stupro violatæ erant, viuæ defodiebantur) complebat id totum spatium, quod est à porta Collina, sub ædibus & portis Salustianis, vsque ad portam Salariam.

Extra portam Quirinalem, ad sinistrã viæ Salariæ partem, sunt ruinæ templi Veneris Erycinæ: cuius festum solenni-

bus

bus ceremonijs celebrabant matronæ pudicæ. Augusto mense, ad simulacrum Veneris Verticordiæ, quæ maritos vxorib. credebatur reddere placabiles & beneuolos: ad hoc templum fiebant ludi agonales, vnde porta nomen sortita est.

Paulo remotius, super Aniene pons est adhuc integer, quem longa inscriptio docet à Narsete structum fuisse. Ad hunc pontem Annibal imbrium inundatione vehementi vexatus, obsidione soluta, castra remouit ab vrbe & discessit. Paulo inferius Tyberi miscetur Anien: ibique Torquatus Gigantem Gallum superauit, & ab eius collo torquem aureum detraxit, à quo nomen postea cepit.

Cæterum (hoc obiter) prope Tybur inter Anienis arenas, leguntur amygdala, anisum, feniculũ, & alia plurima petrificata, quæ circumferũtur pixidibus in conuiuijs, vt matronæ & conuiuæ deludantur, existimãtes esse ex saccaro facta tragemata, quæ vocãtur passim confette da Tiuoli. & superioribus annis corpus hominis interfecti & cõiecti in Anienẽ adhæsit radicibus arboris, quæ fluuij ripã ingrediebãtur, factũque est lõgo tẽporis interuallo, vt corpus à putrefactione conserua-

conseruatum, in lapidem sit conuersum.

Ad portam Salariam demonstrantur reliquiæ templi antiqui, quod Honori sacrum fuit: & domus illius siue suburbani, in quo Nero Imp. aduiuante Sporo, cusp de sub papillam adacto se interemit, ne in manus & potestatem senatus veniret, qui illum poscebat ad supplicium.

Sub hortis Carpensibus plurimæ sunt cameræ & fornices obscuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volunt esse officinas, in quibus conficiebatur & elaboratur minium: alii malunt eum locum adsignare habitaculis meretricum, quæ eo se recipiebant tempore Floralium ludorum, qui celebrabantur in circo Floræ fornicibus his adiacente.

Sub Quirinali monte sunt ædes Buffalorum, paruæ quidem, si conferantur cum maioribus illis palatiis cardinalium & principum virorum, sed quæ cæteris non cedunt omni ornamento antiquitatis. Hortulus est consitus diuersis herbis rarissimis, & arboribus, palmis, cedris, malis Punicis ac medicis, myrtis & aliis. Palmæ enim videntur Romæ multis in locis; sed nullæ gerunt dactylos præterquam eæ, quæ sunt in hortoS.

Marię

Mariæ del popolo, & S. Mar iæ in Transtyberi. Huic hortulo fons est add tus, ex tophis marinis efformatus aff bre in speciem rupis natural s, tantæ pulcritudinis, tantorum sumtuum, compositionis tam raræ, vt n h l speciosius vsquam videri possit. Disposita sunt diuersis in locis conchylia pretiosa, quæ margaritarum referunt splendorem, & ingentes cochleæ Indicæ lucidissimæ, colore iridis & vnionum. Totaque hæc rupes artificiosa venustissime tegitur laur s, cedris, tamariscis, & altis arboribus, quæ præbent vmbram fonti subiecto: sub quibus simulacra sunt tria Musarum eleganti ssima: & Caracallæ imperatoris, qui pallio marmoris corognitis tectus est. Disposita sunt vndique signa, quæ suis è loculis extant, vt Demetrii, Maximini, Phil ppi, Claudij & aliorum. Ex rupe fontis eiaculantur aquæ limpidissimę, per tubos & canales æneos mirando artificio. Lithostratum ex marmoribus compactum est exquisitissimis, opere tessellato, ex chalcedonio, porphyro, alabastro, thasio, pario, ophite, Marmaridum & Æthiopum lapidibus. Opus summâ admiratione dignū: quodque, licet multo minus sit, pulcritudine tamen

tamen & artificum inuentione potest conferri cum fonte Iulij P. M. qui ad portam videtur Flaminiam. In summa, quicquid in domo patritij huius ciuis spectatur, dignum rege & opulentissimo puta principe.

En habes hic, Laconica quidem breuitate, vrbis Romæ monumenta ac memorabilia pleraque, partim integra adhuc, partim eorum ruinas. Consulto autem omisimus statuas atque effigies pictas aut sculptas, nisi quæ singularis alicuius essent artificii, ne videlicet nostra in immensum excresceret narratio, ob id etiam potissimum, quia pleræque statuæ, quæ passim in patritiorum aut aliorum ciuium primariorum ædibus cernuntur, quos nimirum repræsentent, non possunt dignosci. Hoc enim malum semper fuit Romæ, propter nimium rerum antiquarum studium, vt qui statuas non potuerunt emere integras, partes earum, maxime capita sacrilege confracta & à corporibus auulsa sibi vendicarint. Hinc fit vt passim non agnoscantur corpora sine capitibus & raro quoque capita sine corporibus. De conclauibus quoque multorum cardinalium nobilium & ciuium

ciuium opulentiorum, in quibus seruatur infinitus numismatum aureorum, argenteorum & æneorum numerus: toreumata excellentium artificum diuersis metallis; Onyches, Sardonij, Cornalini, Lazulij, amethystæ, topazij, Berylli, cyani, pyropi, hyacinthi, saphyri, crystallini lapides, cælati & signati capitibus. Deorum imperatorum, virorum illustrium, diuersorum animalium, herbarum & arborum, variaque emblemata continentes, hæc præterire satius putaui, cum impossibile sit singula annumerare, vel enumerata explicare: quod præterea hodie (propter fraudes multorum malorum, qui clanculum multa furto turpissimo subtraxerunt) paucis aditus præbetur ad huiusmodi secretiora loca. Multique timent ignotis ea communicare, quæ coniuncta sunt cum multis statuis, tabulis ac picturis nudis & lasciuis: quæ etiam à viris ecclesiasticis seruantur, propter artificium & operis venustatem & excellentiam. Nonnulli autem sunt, qui malignitate deprauati seculi, post reditum in patriam proterue suis enumerant & narrant, scriptisque publicant quæ viderũt, vt inuidiam, decus.

de us & contumeliam concitent possessor bus, à quibus comiter & perhumaniter sunt excepti: beneficiorum immemores ingratitudinem pro gratia referentes. Hæc malignitas in causa est, cur hodie domibus nobilium pauci admittantur, nisi commendatione amicorū id contingat, aut longa familiaritate, & vsu communicationis quotidianæ eos, quorum fidelitatem & ingenium perspectum habent, in musæa sua admittant, & amice communicent quæ habent pretiosa. Hinc fit vt virorum malorum ingratitudo viris bonis sit opprobrio & damno inæstimabili; impediatúrque studium iuuentutis, & comitas caritasque omnium refrigeretur, aut plane extinguatur.

Cæterum de Venetiarum vrbe, quæ & ipsa ædificiorum structura, rerumque memorabilium splendore ac magnificentia insigniter eminet, sigillatim omnia, quæ ibi visuntur, memoratu digna percensere, nimis longum foret. Sufficiat dixisse, naturam ipsam vires ac potentiam suam in illam effudisse, imo vrbis domus extruxisse, vndasque cohibuisse, ne in perniciem Venetiarum maris fluctus altius assurgant aut euagentur. O

mnium vero maxime memorabile, quicunque illic videre desiderat, petat sibi monstrari ipsorum armamentarium, quod lingua sua Arsenale vocant. Locus is patet ad duo millia, in quo bellica omnia instrumenta seruantur, triremes nauesque incredibili numero, indiesque construuntur, planeque ego crediderim, Venetos omnibus præferendos in instruenda numerosa ingentium triremium ac amplissimarum nauium classe; munitiones ac tormenta bellica infinita. In immensum excresceret oratio, si altissimas turres, splēdidissima templorū ędificia atque ornamenta, magnificas palatiorū atque ędiū structuras, areas siue planities amplissimas iuxta atque iucundissimas, ne quid dicam de multifarijs artibus & commerciis, quibus vrbs hęc facile totius mundi vrbes præcellit, legibus ciuilibus sapientissime constitutis, decore vtriusque sexus, aptitudine morum ciuilium. Tempus & oratio me deficerent, si singula pro dignitate prosequi oratione conarer.

Hæc apud Boterum De magnitudine Vrbium. Quæ Lector æqui bonique consulat.

Ex-

Explendis quæ restabant paginis, quædam ad Italorum ingenia & mores pertinentia, ex membrana quadam exscribere visum est, vbi hæc:

Florentini parci, Lucenses elegantes, Mantuani viles, Anconitani sordidi, Senenses magnifici, Mediolanenses copiosi, Nouocomenses luxuriosi, Vicetini abundantes, Cremonenses exquisiti, Neapolitani splendidi, Genuenses modici, Patauini mediocres, Aretini tenues, Veneti paruo obsonantes, Papienses agrestes, Bononienses lauti, Astenses opipari, Perusini delicati. DELECTANTVR Florentini Caleolis, Lucenses Pyris, Mantuani Phaseolo, Ariminenses Anseribus, Taruisani Ranis, Cremonenses Farcimine, Neapolitani Caulibus, Genuenses Lactucis, Patauini pisciculis, Piceni Porcis, Perusini Piscibus, Papienses Cæpis & Allio. IN VESTITV Medio-

Mediolanenſes ſplendidi, Genuenſes elegantes, Mantuani pueriles, Neapolitani ſumtuoſi, Veneti magnifici, Florentini ridiculi. IN PERSEQVENDIS INIVRIIS Lucenſes mites, Mediolanenſes faciles, Perusini diſſimulantes, Fulginates accenſi, Mutinenſes placabiles, Senenſes magnanimi, Neapolitani benigni, Ferrarienſes pertinaces, Veneti ſubdoli, Cremonēſes aperti, Piceni maligni, Romāni iniqui. ERGA HOSPITES Calabri inofficioſi, Lucenſes fideles, Senenſes amabiles, Veneti blandi, Patauini duri, Mediolanenſes incauti, Ferrarienſes aſperi, Mantuani deglubitores, Placentini ſeueri, Piceni infenſi, Neapolitani benigni, Florentini profuſi, Aſtenſes beneuoli, Spoletani agreſtes, Veronenſes ſtudioſi, Papienſes prudentes, Genuates inhoſpitales, Parmenſes inconſtantes, Mutinenſes prolixi, Nouocomenſes inhumani. IN MERCATVRA Florentini

tini callidi, Genuates tolerantes, Mediolanenses aperti, Lucenses fideles, Veneti splendidi, &c.

Adscribam Coronidis loco elegans Poetæ cuiusdam de eorumdem moribus citra tamẽ cuiusquam iniuriam, Carmen:

Siticulosus Appulus, Croton sanus,
Siculus dolosus, laniger Tarentinus,
Picenus vnctus; rusticus Ferentanus,
Nebulosus vmber, Lõgobardus astutus
Carnus vorator, potor Istrus, insanus
Illyrius, arrogantior Typhæo, huius
Caputque venti & gloria Ragusæus,
Venetus superba nobilis vetustate,
Genuensis osor pacis ac boni moris,
Vnus Britannis tetrior Ligur cunctis.

FINIS.

INDEX PRIMAE PARTIS ITINERARII.

V Athesis

INDEX.

Cyria-

Me-

Trium

IN-

IN SECVNDAM PARTEM ITINERARII INDEX.

Ebusus

R. Rai-

MENDA OPERARVM SIC
ante legendum emenda.

IN I. PARTE.

Pag 5-verſ.3 à fine, lege officium. 9.9 liberi, l. libri. 11.7 à fine, l constitui. pag 18, verſ. 14. monumentum l. momentum. 22. 2. ædificijs. 23. 3 à fine demonſtrant 26.9 plebeiorum 46 .9. à fine Epiſcopo. 48, in marg. dele, Archiep. Carulum excipit 57. 17 cuderint. 63. 12. vs, l. vt. 64. 18. ad, l. ac. 66. 10. l. in ahenaз, non aliena. 72. 5. rogabis, & penult. modeſtiæ 79 vlt. l. Euangelium. 111. 8. l. carnem hanc vrſinam 134, ſic caſtiga numpro 154 v. 2. ad hoc, l ab hoc. 158. ita caſtiga num. pro 168 169. v. 11. l palati. In marg dele Maxim, repone Flaccus. 139. v. 11. lege, προσδέσθαι 156. vlt. l. triginta 176. 12. leg Gregorio XIII. delendum. vnum X. 18. 5. à fine, l clauis. 227. 14. alant, & 211. 12 veteres. 271. 9. l. tabula, non fabula. 279. alta turribus, verſ. 3 exteros 281. 18 leg. lib. II. epiſt. 6. 285. 17 columollæ v 3. à fine, ſit, pro ſis, 292. 4. l. Pontiff. 299 4. l. virorum, qui in 300. 15. l. Ioannis. 305. 13. l editiſſime 307. 18 l dedicatam. 313. 6. à fine, facilè. 314. 19 l. lanificum 321. 2 Batauij, l. Patauij. 3 4 11 caſtigati ſunt 32. 3 à fine, tã multos 327. 9. l è Dione. 334. 13. l expendere, & v. 19. l. γνῶθι. 339. 2. auer, l. aura. 367 7. à fine, meas, l. meus. 360. 3. Sirenes 4 Leucoſia 1. Libycus v. 4. à fine, Bœotius. 363. 5. lege S P H I N G I S. 373. 19. l mõſtretur. 377. 12 lege, Sixti V. non VI. & penult quatuor. 381. v 1. S M. Atilio, dele S. 384 11 l. fuit. 388. 2 circuitu 394. 14 l. impetrauit 404 7. l. fine, fugerant.

Errata Secundæ partis sic corrige.

Pag. 29 18. Hanc l. Hac. 41 5. malacum, lacum 43.8. l oppidum. 46.10. l Pontificia. 52. 9. à fine, Dunum autem Gall: 59. 7. à fine, ijs quas, l. quæ. & v.5. a fi. pro quam, quæ 67. 16. de qua, de quo. 68. vlt. lin. corruptam cui aut cusam. 71. 8. à fine, certe, l. recte. 77.3. veri, viri, 79 vlt. admittant 81. 7. in extremas. 84-18. l. Hilarius. 93 5. l. XII. M. P 97. 9. à fine: l. κατ' ἐξοχὴν 109 1. l Parthenopæum 26. eis, l. eris. 121. 5. a fine: l. Cyrici. 122. 15 l. Præsul, 126. 9. à fine: l. editiore. 132. 13 a fine, dele alterum autem 134. 11. l. peruenimus 138. 15. l ossa pro offa. 143. 9. a fine: fuso, l. suso versum. 153. 11. à fine, l. festos non fastos 156. 8. à fi. l. ciuitatis. 5. ibi l pecuniarum. 157. 5. à fine. l. huius. 158. 1. Epigramma.

ITINERARIVM GALLIAE Et HISPANIAE: ROMAM VERSVS:

OPERA

FRANCISCI SCHOTTI

Iuris-Consulti Antuerpiani.

AD V. CL.

FRANC. KINSCHOTIVM THESAVRARIVM, &c.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Bernardi Gualtheri,
Anno CIↃ. IↃC. XX.
Permissu superiorum.

CLARISS. VIRO
FRANC. KINSCHOTIO
IVRIS-CONSVLTO,
ALBERTI
PRINCIPIS, FINANCIAR.
SVMMO THESAVRARIO,
Sororis filio:

FRANC: SCHCOTTVS
ANTVERP. S. D.

Vt qui è naufragio enatantes, tabulas ac dona ex voto templis dedicare soliti, atque

Seruati ex vndis votas suspēdere vestes,

Vt poetarum principis vtar verbis, sic & è longa tandem peregrinatione domū reuersi, libenter quæ viderūt audieruntve cōmemorare ipsi inter se, ad posterosq; transmittere consueuerunt. Cum itaq; à publicis fertatus negotijs conuenire interdum vnicum fratrem P.

 Andr.

Andr. Schottum *cũ alijs eruditis hominibus solerem, de peregrinati one quoq; nostra, vt fit, sermonem identidẽ inijciebamus: vtpote qui vnà in studijs à parente nostro Francisco iã inde à teneris vnguibus dedicati, diuulsi tamen bellorũ tempestate ciuilium*, dum pelago desæuit hiems, *terrâ mariq́; iactati, Germaniâ, Galliâ, vtraque Hesperiâ lustratis, patrio diu solo cæloq; caruimus, domumq́; tandem profligatis nonnihil perduelliũ armis, remeauimus. Ex quo quidem sermone illud commodi exstitit, vt & præteritorum laborum sponteq́; suscepti exilij iucunda esset cõmemoratio, & è sapienti peregrinatione, inspectis variarum gentiũ moribus ingenijsq́; (quæ cognouisse salus est, ait Comicus, adolescẽtibus) Prudentia cõparetur, laudãdo quæ*

Virtuti

Virtuti coniuncta, & vituperando contraria. Quo etiam nomine post viginti absentiā annorum Vlyssem πολύτροπον *euasisse*, Qui mores hominum multorū vidit, & vrbes; *ac veluti cordati ciuis imaginem ab Homero in Odyssea propositū omnibus esse accepimus. Rogantibus autem familiaribus nostris, vt quæ memoriter ac iocunde narrata essent, in gratiā posteritatis litterarum monumentis consignarē, adhibitis Scriptoribus Latinis, ac Geographis etiam Græcis, Cessi tandē ac parui amicorū voluntati, & currente rota, vrceus cum institueretur exijt amphora; ternię excreuere libelli, enchiridij forma, vt gestari etiam facile à viatore vel pedite possent, admonerent quid in singulis vrbibus, quà transeūdū esset, spectatu dignum occurreret.*

 Par-

Partem itaque primam Itinerarij Romã versus *Illustr.*mo *Card. Bellarmino, alteram vero Card. Cobellutio obtulimus. Hanc denique tertiam,* Francisce, *Tibi, do, dico, addico:* Namq; Tu solebas Meas esse aliquid putare nugas.

Quo Tomo Galliæ Hispaniæq; iter *sumus complexi. Ecquis vero vsus libelli? quæres. Vtilis sanè, nisi quid iudicãs fallor, ijs labor noster exsistet, qui in viã se Religionis ergô, vel negociorum causa dabunt: qui legationes obeunt ad Regẽ Catholicum vel Christianissimũ, vel Principes Christianos, qui bello hoc sacro castra metari cupiunt: qui deniq; anno sæculari sacro proximo MDCXXV. Romam ad limina Apostolorum* Principum *pietatis studio, aut voti rei aduolabunt. His fortasse lectio libelli, vt solet comes*

mes itineris facundus, vehiculi vicem solamenque viæ præbebit. Sed quo fine edis, inquies? nimirum, vt hos Tibi recens honoris ergô Titulos ALBERTI *Principis Opt. beneficentia sponte oblatos ex animi mei sententia gratularer. Deinde vt parentis Tui Henrici Kinschotij summi quondam in Patronorum Collegio Bruxellis, dum vixit, Aduocati, gratam memoriam, dum in illius hærerem XII. amplius annis contubernio, libenti animo reuocarem. Illud interim Te obtestans, vt illius optimi patriæ doctissimique Iureconsulti, quibus de Iure respondit lucubrationes, vetustate temporisque longinquitate intercidere ne patiaris, sed in hominum manus obstetricante Genio, peruenire sinas: vt non ignaue vixisse posteritas vigilijs lectis intelligat: Teque tali dignum patre filium, tali idoneum magistro discipulum tam grati animi testificatione ostendas, & æqualibus præeas. Sic Tibi, tuisque quæ opto, eueniant Feliciter. Antuerpiæ, II. Kal. Iunij.* CIↃ. IↃↃ. XX.

IN AMPLISS. FRANC. SCHOTTVM REIPVBL. Antuerpiensis Consulem.

SI quis imaginibus, si nobilitate parentum,
Clarus ab antiquo stemmate iactet auos;
Quem fugit insigni celebres ab origine SCHOTTOS,
Gentis & auctores sanguinis esse tui?
Antiqui celebrent reuerenda fronte Catonem:
Censura es maior, nec grauitate minor.
Nostra tuo felix regitur res-publica nutu;
Omnia consilio stantq́; caduntq́; Tuo.
Te dicente ferum ponit discordia ferrũ:
Proijcit & sæuas Martia turba faces.
Hæc sat erunt, cunctas satagam si promere laudes;
Ilias est operis longa futura mei.

S. D. A.

GAL-

GALLIAE DIVISIO

Ex antiquis recentioribusq; scriptoribus, veteribus, nouisque distincta nominibus.

FRANCIÆ regnum prius Celticum, post Gallicum, ac tãdem à Germaniæ populis Franconibus subactum, *Francicum* nuncupatum.

COMATA GALLIA in tria populorum genera à Iulio Cæsare ac Geographis distinguitur, *Belgicam* scilicet, *Celticam & Aquitanicam*, (quæ antea *Aremorica* est dicta) amnibus inuicem fluminibusq; distincta. A Scalde etenim ad Sequanam BELGICA, à Belgis ciuitate vocata prouincia: de qua nos supra egimus; parte altera, cũ Germanicis. A Sequana item ad Garumnam vsque CELTICA, quæ & *Lugdunensis*, cuius populi *Celtæ* & Lugdunẽses vocati; quorum finitimi Hispani Celtiberi (hodie *Aragonenses*) sunt nũcupati. Dicti autem *Celtæ*, teste Appiano, à Celto Polyphemi filio; seu, vt alij, à Celte eiusdẽ regionis rege. Inde ad Pyrenæi montis excursum AQVITANIA est, vulgo *la Gascogne*

& *Guienna*: sic vocata ab obliquis aquis Liger s fluminis. vide Melam .li. 3. de situ orbis c. 2. Plinium lib. 4. ca. 17. & alios

NARBONENSIS Prouincia à *Narbone* ciuitate, quæ olim amplissimum fuit Galliæ Braccatę emporium, teste Strabone lib. IV. Geogr. hodie tutissimum, vt finitimum Galliarum aduersus Hispanorũ incursiones propugnaculum. Ceterum NARBO MARTIVS dictus, à Martia legione Cæsaris in coloniam eò deducta, vt quidã opinantur: alij à Q. Marcio Cos. coloniã eò deducente; teste Velleio Paterculo. Agrippa, teste Plinio li. 4 c. 18. & 19 Narbonensem hanc prouinciam non tribuit Galliæ, vt & alij nonnulli, Strabo l br. II. qui Hispaniæ adnumerari volunt, tanquam ad Vasconiam, itemq; Hispaniam, pertinentem.

Circumscribitur GALLIA secundùm eundem Strabonem, ab ortu Italia, Rhetia ac Germania; à Meridie mari Gallico, ab occasu montibus Pyrenæis & Oceano Aquitanico. A Septentrione mari Britannico. Sunt autem hæ præcipuæ commemoratæ Prouinciæ:

1. AQVITANIA, veteribus, vt dixi, *Aremorica*, hodie *Guienne & Poitou*.
2. LVGDVNENSIS, *Le pays d' Auiune, & Berri, Beauce, Bourgogne, Lyon*.

An-

Auuergne & semblables.

3. BELGICA, *Le pays d'Arras, Reims, Normandie, Bretagne, & Picardie*

4. NARBONENSIS seu Occitania, *Le pays de Languedoc, Prouence, Dauphiné & Sauoye.*

Harum Prouinciarũ populi hi præcipuè numerãtur, ex Põponio Mela. li. 3. ca 1. Plinio libr. 4. c. 19. & Ptolemæo 2. c. 7 Strabone & Cæsare in Comment. belli Gallici, & Abr. Ortelio in Theatro & Thesauro Geogr.

I. AQVITANIAE POPVLI.

Pictones, Pectones seu Pictaui, *ceux de Poictou*, sub quib. & *Britones* cõprehẽdun (tur.

Limones, *Les Limosins*,

Santones, Liberi, Vbisci, seu Vibisci, *ceux de Xantonge.*

Bituriges, seu Bituricenses, & Vocontij, *ceux de Bourges, & du Bourdelois.*

CIVITATES vero Aquitaniæ celebriores:

Augustoritum seu Pictauum, *Poictiers.*

Mediolanum, in Orduicis Britonum populis, *Lancastre.*

Neomagus seu Niuomagus, aut Niuiomagus ad Mosellam, *Numagen, Nyon, ò San Saluator,*

Burdigala ad Garumnam, *Bourdeaux.*

Aquæ Augustæ, apud Tarbellos ad Pyrenæos montes, *Bayona.*

Vesuua Petrocoriorum, *Perigort*.
Ducona, Catucrum Quercitaniæ, *Cahors en Querci*.
Varicum seu Auaricum, *Chasteau neuf, en Viaron en Berry*
Aginnum *Angolesme*.
Tasta, *D'ax*
Augusta Nemetũ, seu Nemesum, *Neuers*.
Rouessium Aluernatum, *San Flour*.
Gergedunum apud Rutanos, *Rhodez*.

II. LVGDVNENSIS GALLIAE POPVLI.

Venelli, seu Vnelli, *Percherons*.
Lexubij, seu Lexobij, *Lisieux*. vbi Lexobiense Benedictin. monasterium.
Caletæ seu Caletes. *ceux de Caulx*.
Osismij, Osisini, Sismii seu Timij, ad mare Britannicum, *ceux de Lãdriguet*.
Veneti item apud Britones, alias Cyantes dicti, *ceux de Vannes ou Vennes*.
Andes, Andicaui, Andegaui, *ceux de Andes où Angiers*.
Vellocassii, *ceux de Nantes*
Ædui, seu Hedui, *ceux de Autuns*, vbi Augustodunum.
Carnuti, *ceux de Chartres*.
Boij, *ceux de Bourbonnois*.
Senones, *ceux de Sens, en Bourgogne*.
Aulerci siue Aliocri, *ceux de Rouen, de Sureux*

Sureux ou Eureux. Dicti & Eburouices. Antirci, Eburnici, vbi Aurelianensis vrbs, *ceux de Orleans*.
Cenomanni, *ceux de Mans*.
Trecę, Trecasses, Tricassini, seu Tricassii, *ceux de Troye en Châpaigne*, inter quos, vt refert Ab. Ortelius, Parisienses à nonnullis commemorantur, quos tamen Ptolem. distinguit. De his Pet. Pithœus lib. 11. Subseciu. cap. 1.
Rhedones, *ceux de Rhenes, en Bretagne*.
Cariosuelites, *ceux de Cornuaille*.
Diablindi, Diablindres, Draulitæ, seu Diablintes, *ceux de Leondol*.

Civitates autẽ Lugdunensis Galliæ:
Neomagus Lexubiorum seu Vadicassiorum, *Nemours*: quo nomine & alia in Aquitania.
Iuliobona, Calecorum vrbs, *Honsleu*,
Vorganium Osismiorum, seu Osismiorũ, ad mare Britannicum populorũ vrbs: *Vorgues ou Vormes en Landriguet*.
Neodunum, *Leondoul*, apud Diablintes.
Rotomagus, *Bayeux*.
Iuliomagus apud Cenomannos, *Lemans*.
Vindinum, apud Cenomannos, *Lemans*:
Condiuincum, apud Namnetes, *Nantes*.
Mediolanum seu Aurelia, à Ligeri fluuio ad Sequanam Aulireiorum seu Eburoicorum, Aurelianensiumve populo

pulorũ vrbs, *Orleans*: penes quos Aurelianenses iuxta Ligerim: Rhedones, quorũ vrbs præcipua Condite, *Rhenes*.

Agedicum, apud Senones opidum, quod & Agendicum dicitur, *Sens*.

Autricum Carnutum seu Carnutarum vrbs, *Chartres*.

Lutetia, Parisius seu Parisij, *Paris*, iuxta Sequanam in Senonibus, totius Galliæ celeberrimum oppidum: vbi Regis aula, emporium negotiationis, & bonarum litterarum in omni scientiarum genere gymnasia.

Augustobona apud Tricassios.

Cæsarodunum apud Turupios.

Caballinum seu Catalaunum, *Chalon*.

Lugdunum, huius Galliæ Lugdunensis prouinciæ vrbs celeberrima, à qua nomen Prouinciæ datum. *Lyon*.

III. BELGICAE GALLIAE POPVLI

Recensebuntur, qui Franciam hodie attingunt, alibi de Flandricis egimus, & Germanicis eius populis & vrbibus.

Morini, *ceux de Cales*, à Calesio oppido.

Atrebates, seu Bellouaci, in Rhemensi prouincia, *ceux de Beauuais*.

Ambiani, *ceux d' Amiens*, qui & Samarobrini & Somobrienses dicti.

Ner-

Neruii seu Tornacẽſes. *ceux de Tournay.*
Rhem, Rhemenſis diœceſis populi.
Mediomatrices, *ceux de Mets*, quos & Metenſes dixit Flau. Blondus: ſub quibus & Leuci Tullenſes comprehendi poſſunt, vulgo Lotharingi, *les Lorrainois*, &c.

IV. NARBONENSIS GALLIAE POPVLI.

Anatili, vulgo Prouinciales, *ceux de Prouince.*
Commani, ſeu Comonni, *ceux de Come, ou Conne, au long de la coſte de la mer vers Marſeille & Freius.*
Deciarii, Deceates. & Edennates, *ceux de la contree de Ragni.*
Volcæ, Volgæ, Volſci & Volci, *ceux du Conté d'Auignon, & Principauté d'Orẽge*, qui Auenienſes & Orauſienſes dicuntur.
Arecomici, & Arecomiſcii, Nitiobriges, *Nemauſenſes*, VallisNaiade, & Mõtispeſſulani, *ceux de Aulbigeois, de Niſmes Montpellier & Vaulnage.*
Allobroges, Delphinates, Breſſani & Sabaudi, *ceux de Dauphiné Breſſe, & Sauoye.*
Tricaſtini, *ceux de plat pays de Lãguedoc, & du long du Rhoſne pres l'embouscheure.*
Ab vrbe Auguſta Tricaſſinorum, cuius memi-

meminit Ortelius poſt alios Geogra. phos. Vulgo *Aimargues*: alias Delphicũ templũ, & os Rhodani Maſſaliaticũ.

Cauari & Cauarii, ab vrbe Ciuaro, *ceux deuers Chãbery & Faucigny*. Hos aliqui vocant *Catares*, vt Strabo: alij *Cauares*, vt Mela Pomponius.

Memnij, qui & Gapenſes & Dionenſes dicuntur, *ceux de Montagnes du Dauphiné, vers Gap, Die & Grigiuandan.*

Vocontij, *ceux du val de Viſo, ou Gapẽſois.*

Tectoſages, *ceux du l'Orangeois*, quorum caput Tholoſa, de qua mox erit agẽdũ.

CIVITATES vero inſigniores:

Mõſpeſſulum, *Montpellier*; putatur olim Agathopolis & Agatha fuiſſe dicta, ſed hæc corrupta nonnihil voce, *Agde* dicta hodie, Medicis clariſſima.

Tholoſa, Tectoſagũ vrbs nobiliſſima, vnde Tectoſaga, Toliſtoboga, & Toliſtobia vocata, teſte Ortelio: Iuris ſtudio maxime celebris. Vbi & Conuẽtus ſeu ſenatus illius orę ſupremus, quę vulgo *Languedoc* dicitur, vrbs vero *Tolouſe*. Sunt & Narbonenſis Galliæ tres conuentus, vt eadem prouincia tripartita reperitur, ſcil. *Languedoc, Prouence, & Daulphiné*, addunt quidã Sabaudiam.

ii. Alter conuentus in ora prouinciali ſupremus in Aquis Sextiis ſeu Sexti-

apis.

an's,vulgo *le parlement d' Aix.*

11 Tertius in ora Delphinensi, in vrbe Gratianopoli,*le parlemẽt de Grenoble.*

Agatha,insula & vrbs,quæ hodie *Agde* dicitur,vt iam monui.

Antipolis Daciatorũ,*Antipon*,corruptè *Antibon*,quæ & *Ragni* Pineto in Pliniũ.

Massilia,Salyum caput,vrbs mercaturis illius oræ celebris,*Marseille*,à nõnullis Massalia dicta,& Atheнopolis.

Betira,seu Betiræ,Bliteræ, Betirensis, *Beziers.*

Narbona,seu Narbo Martius, *Narbonna* hodie.

Carcassona,*Carcassone.*

Vindomagus & Vindomagum,*S.Tibere,Vigan.*

Castrum Nitiobrigum,*Castres d'Aubigeois*,dicitur & Cessero Ptolem.& à nonnullis *S.Huberti*.Dicitur & Cessero Prouinciæ vrbs,vulgo *Cisceron.*

Luteuanum, *Lodeue.*

Piscenæ,*Pesenas.*

Dunitati,*Castelnau de Arri.*

Vmbranici, *Vabres.*

Cenus fluuius, *Vidourle.*

Vtica apud Volcas Arecomicos , *Vsais.*

Valentia,*Valence.*

Nemausus, *Nismes*, antiquissima illius prouinciæ vrbs,vt Rõ.ostendũt opera.

Pons

Pons Guardiæ, *Guardon*, post Vticam est miri artificij. Triplex enim est arcubus sibi inuicem impositis, vt in Aquæductibus solet, superioribus hic eidem vsui olim aptatis, teste Poldo: hodie *Pont du gard. ou Gardon:* fluuius etiam è Cemmeno monte in Rhodanum exundans.

Anduza Cemmenum montem à campestri Nemausensium agro separans, *Anduze, aux Ceuenes.*

Auenio Cauarum apud Narbonenses Pontificis vrbs insignis, *Auignon*, cui subijciuntur Cabelli, *Cauaillon*, & Carpētoracte, *Carpentras*, vrbes Episcopalis ditionis.

Alba Heluiorum, *Aubenas, Viuiers.* Heluij autem, vulgo Viuarienses, ab vrbe Viuariensi ad Rhodani ripam sita nuncupati, *Ceux de Viuarois,*

Trasco & Bellicadrum Volcarum vrbes Rhodano tantum distinctæ quarum altera Occitaniæ seu Languedocensis prouinciæ: altera vero Prouincialis: Hodie *Beaucaire & Tarascon.*

Os Rhodani Libycū, Hispaniēse, *Aigues mortes*

Os Rhodani Libycum, Metapinum, *Pequays*, vbi pagus vulgo *La pigne, ou Pignede*

Auatici, *Vauuert*

Astro-

Aſtromola, *Mauguien*,
Forum Iulij, *Freius*,
Arelate, ſiue Arelatum; *Arles*, Sextianorum colonia, alias Conſtantinia dicta vrbs et ſāriqu ſſima in Prouincia, vbi etiā, vt Nemauſi, āphitheatrū viſitur.
Camatullici, *la Camargue*.
Aquæ Sextiæ, ſeu calidæ, vulgo *Aix*, vbi Senatus eſt, vt diximus.
Dinia Ebroduntiorum vrbs, *Digne*
Valentia Cauarū, *Valence*: hodie eſt Delphinatus, vbi etiam Iuris Academia.
Tricorium, *Trieues*
Tricollorum, *Tallard*.
Guelteri, Gu lleſtre.
Gratianopolis, hodie Delphinatus caput, *Grenoble*
Cāberiacū, Cauarū, & Sabaudiæ caput, ſupremuſque ibi Senatus, *Le parlement de Chāberi*, in cuius finibus Geneua, nō nullis Gebenna & Geneura, *Geneue*,
De his omnibus GALLIÆ populis & vrbibus præter veteres Geographos Græcos Latinoſque, vide
Robertum Cenalem Epiſc. qui vniuerſam Galliam deſcripſit
Gilbertum Cognatum Nozorenum in Burgundiæ deſcriptione,
Abr. Ortelium, Seb. Munſterum, Ioan. Marium & alios,

DE.

DE GALLIÆ NARBON VRBIBVS.

De GALLIAE & FRANCIAE nomine ac diuisione, fabulosisque gentium, vrbiumque originibus disputatum.

Ex Gasp. Barrerij Chorographia Latinè è Lusitanis reddita.

GALLIAM Celticam, quam hodie FRANCIAM nominant, ab HISPANIA Pyrenæis montibus separari cuiuis vel è Tabulis Geographicis notum. *Salsula* enim terminus est Regni Aragonum Comitatusque Rusillonij, Franciæ imminens. GALLIA autem à cādore populi dicta. Γάλα enim Lac Latinis est. Montes enim cæliq; rigor ab ea parte Solis ardorem excludunt, vt Gallorum non perinde vt Hispanorum facies colorētur. Sic Isidorus Hispalens. lib. xiv Originum seu Etymolog. ca. 4. FRANCIAE vero nomen Gallorum hodie veteres Annales à Frāco quodam Hectoris filio deriuant; qui capta iam à Græcis astu, vastatisq; ignibus Troia, vt poetæ fabulantur, cum suis ad Mæoti-

da

da paludem(quæ hodie *Maremaius* eſt) delati, Sicambriam ædificarint: à quo Franco Franci appellationem tulerint: quibus Romanorum armis Sicambria pulſis, in Alemannia ſeu Germania ſedes locarint: in qua & hodie Franconia eſt Germaniæ ampla Prouincia, & Fräconô-furdum, nũc ad Mœnum fl. ſitum emporium, conciſius Francofurdum ſit nominatum, duratque appellatio, Inde ad Sequanam Galliæ flumen delatos Francones aiunt, ſolique fertilitate illectos ibi manſiſſe, FRANCIAMQ; in ſucceſſoribus ad hanc ætatem cognominatam. Sunt & aliæ aliorum narrationes haud paulo veriores, quas quia Rob. Gaguinus, Paulus Æmilius, & Raph. Volaterranus referunt, commemorare non libet, ſed eos, ſi tantum abs re cuique eſt otij, legere iubeo. neque refellere eſt animus quæ è fabulis hauſta circũferuntur. Illud tantũ monere in præſẽs viſũ, quod lõge veriſſimũ, Gentiũ priſcarũ origines fabuloſas à plerſque obtrudi, quæ vel à Troiani belli heroicis ducũtur tẽporibus; vel ab Hercule fabuloſo heroe, imo & à Noæ diluuio, vel eius arca fluctuãte in cataclyſmo, vel altius etiã arceſſito principio cũ gentium, tum vrbiũ, nobilitatem ſuã claritatẽque ab vltima antiquitate repetentes,

quam à mortalibus stirpem repetere so-
liti, fastu quodam inani. næ illi aut risu
Democriti, aut Heracliti lacrymis potius
digni! Sic à Ioue Hammonio potius quã
à Philippo Rege Alexander cetera mag-
nus; ab Hercule M. Antonius; alij ab alijs
heroibus, aut dæmonibus originem de-
riuarunt. His non absimiles Cæsares qui-
dam, habitu etiam mentito referebant
Deos, clarique viri, quos enumerat li. III
Obseruationum humanarũ And. Schot-
tus, ca. III, & XIX. Plura vero si exempla
requiras ignobilium etiam hominum,
suggeret Val. Maximus libro nono Me-
morabilium extremo: *De iis qui infimo
nati loco per mendacium sese clarissimis fa-
miliis inserere sunt conati.* Atque vtinam
hodie ea vanitas hominũ cessaret, insig-
nibus temere confictis, & origine nimis
alte repetita prope ab Adamo, vel saltem
Nohetico cataclysmo, bello Troiano,
turri Babyloniæ, & Romulo; fortasse cõ-
modius se re[illegible]manæ haberent, dũ Vir-
tuti potius meritisque cuiusq; nõ alienis
factis merces preciumque esset, quam fu-
mosis maiorum imaginibus. Vere enim
Satyricus canit:
*Tota licet veteres exornent vndique cerã
Atria, Nobilitas sola est atq; vnica* VIR-
TVS.

NAR-

NARBONA, hodie *Narbonne*.

NARBO Martius ex Hispania iter facienti vrbs prima: à qua Narbonensis denominata *Gallia*: Ciceronis de ea elogium hoc in Fonteiana. *Est in eadem prouincia* NARBO MARTIVS, *colonia nostrorum ciuium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum & obiectum*. Et Pomponij Melæ lib.II. de situ orbis: *Ante stat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia: vnde olim ijs terris auxilium fuit: nunc & nomen & decus est* NARBO *Martius*. Ausonius Gallus versibus de ea canit:

Nec tu MARTIE NARBO *silebere, nomine cuius,*
Fusa per immensum quondam prouincia regnum,
Obtinuit multos dominandi iure colonos.

Sed vnde *Martij* aut *Marcij* cognomen adhæserit vix è proditum. Raim. Marlianus Indice ad Cæsaris Commentarios, putat à Cæsare occupata illa Gal-

 lia,

lia à Martiæ legionis ibi collocatæ aut deductæ in coloniam nomine sic dictam vrbem, nullo interim laudato eius rei scriptore, sed refellit Velleij Paterculi authoritas, qui antea longe sic dictam à Q. Marcio Consule coloniam refert. NARBO, inquit, MARCIVS *in Gallia M. Portio, Q. Marcio Coss abhinc annos circiter* CLIII. *deducta Colonia est*. Consulatum autem Q. Marcius Rex cum M. Porcio Catone gessit anno post Rom. cond. DCXXXV. à quo Cos. Narbonem Marcium deducta Colonia est ante C. Iulij Cæsaris ætatem; coloniæque inditum nomen verius est quam à decima legione, Martiæ cognomento sub Cæsare, qui ea legione ob fortitudinem resque præclare in Gallico bello gestas est vsus. Quæres forte cur non & à collega Porcio *Porcia* sit appellata colonia, aut vrbs Narbo? Est quod respondeam. Sortiebantur Romæ Consules Prouincias, quæque in ijs gererent ædificarentve de suo quisque nomine appellabat, vt Romæ *Appia via*, itemque *Flaminia* dicta, ab Appio, & Flaminio: & *Æmilia* ab Æmilio Scauro, teste Strabone. Rursum *Aquæ Sextiæ* in hac ipsa Narbonensi Galliæ prouincia, à Sextio,

&

& *Mariana Colonia* à Mario. Sic inquã *Marcius Narbo* à Q. Marcio Rege Cos. non à Porcio collega Porcia, neque à legione Martia dicta vrbs. Accedit & Eusebij in Chronico calculus, qui Olympiade CLXVI. coloniam deductam a t Narbonem: iterumque Olympiade CLXXX. *Cæsar*, inquit, *Lusitaniam & quasdam insulas in Oceano capit*. Erat tum Hispaniæ Prætor Cæsar, vt opinor, post commissa illi Gallia, vbi decem totos annos rem bene gessit, cum Narbonam deductam coloniam falso autumat Marlianus. *Narbonensis* itaque hinc Gallia denominata à Metropoli *Narbona*, dicta & *Braccata Gallia* priscis Geographis, à Braccis vestium genere fluxo, villoso, & colore variegato, cuius meminit ex Diodoro Siculo Laz Bayfius, de re vestiaria, ca. 20. Ad orientem solem Narbo Alpes attingit: qui montes ab Italia diuidunt, Varusque fluuius, nomen hod eq; retinens, natus è monte alpino, quem *Cemam* Plinius libr 3. Nat. hist. ca 4. nominat, & in mare ad vicum Galliæ *Sancti Laurentii* dictum, quarto à *Nicæa* lapide fertur. Ad Boream Rhodano Fluuio, lacuque terminatur Lemano. Hodie *Narbonensis*

Gallia has quattuor in partes diuisa, nominibusq; distincta, quia Languedociam, *Sabaudiam, Delphinatum, ac Prouinciam* Galliæ, excellenter hoc nomine ornatam: quæ sola ora vetus pænè nomen retinet, *Prouenza* ab incolis dicta.

NARBO, Languedociæ est, colonia olim Decumanorum: hoc enim nomen Languedociæ factum vel ex Occitania, vt illa dicta regio est; vel à Gottica Gallia & longo; vt opinatur Paulus Æmilius. Vrbs in planicie muris cincta, munitaque vt non alia in Gallia Italiaque magis, vt non immerito *munimentum decusque regionis* Mela appellet. Fossis enim altis vallisque tuta ab hostium impetu, tormentisque bombardarum exisstit. Hanc flumen labitur *Atax* nomine, inquilini *Aride* mutata nonnihil voce appellant, quo de sic Mela: *Atax è Pyreneo monte digressus, nisi vbi Narbonem attingit, nusquam nauigabilis. Lacus accipit eum Rubressus nomine*, &c. Strabo quoque Cemeno monte, qui & ipse in Pyrenæis est, nasci affirmat, tenditque in mare medit. fluuius altero inde lapide ad *Vendres* pagum, lacumque *Perinchano* aut *Vendres*, quem hic Mela *Rubressū* nominat. Altero rursum miliari lacus *Bages* dictus, & in portu *Nouella* nuncupato

pato, nauigijs maioribus merces aut importantur aut exportantur: quibus mercibus florentissimam Narbonem Ausonius Gallus in Vrbibus sic testatur:

Te maris Eoi merces & Iberica ditant
Aequora, te classes Libyci Siculique profundi,
Et quidquid vario per flumina, per freta cursu
Aduehitur, toto tibi nauigat orbe cataplus.

Tritici, olei, frugumque ferax Narbonense territorium, ac fertile ad montes Delphinatium, ac Sabaudorum, vt de hoc vere Plinius libro 3. capit. 4. prædicarit, *Italiam verius quam Galliam* appellandam videri; *Narbonensis*, inquit, *prouincia agrorum cultu, virorum morūque dignatione, opum amplitudine nulli prouinciarum postponenda, breuiterque verius Italia quam prouincia*. Itemque Sidonius Apollinaris in Panegyri his versibus

Salue NARBO potens salubritate,
Vrbe & rure simul bonus videri,
Muris, Ciuibus, ambitu, tabernis.
Portis, porticibus, foro, theatro,

Delubris, Capitolijs, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto
Vnus qui venerere iure diuos
Lenæum, Cererē, Palem, Mineruā,
Spicis, palmite, pascuis, trapete,
&c.

Pluribus enim versibus regionis fertilitatem vicinus ipse Aruernorum Præsul describit. Ciues vrbs fere ter mille numerat. Domus lapideæ sunt. forum triplex, & cuique fons irriguus, aquis extra vrbem deriuatis Aedes sacra Cathedral s. affabre ædificata, eademque Metropolitana, XII. millia scutatorum olim Archiepiscopo pendere solita. Virginum monasteria sex, monachorum quatuor. *Carus* Imperator Augustus patria Narbonensis fuit: sed quo magis glorietur, hic natus S. *Sebastianus* creditur, cui & templum inibi, sed humilius Martyris meritis; cuius corpus tertio ab Vrbe Roma lapide quiescit in cœnobio eiusdem tituli, quod ad *Catatumbas* istic vocant; vna est è septem Ecclesiis Romæ, quæ ab incolis & peregrinis hominibus religiosè indies frequentantur.

ITER

BITERRAE, Gallis *Beßiers.*

QVinque fere leucis id oppidum abest, sedes Episcopalis. Reditus ei bis mille aureorum, *Blitterras* Mela nominat, Plinius item, ac Strabo. sic enim lib. 4. Geogr. *Super altera colle civitas admodum munita apud Narbonem sita est Bliterra.* hæc ille. In tabulis Ptolemæi & Antonini Itinerario legitur *Beterra*, & *Batire*, nisi mendose editum. Ad collis radicem flumen est *Obris*, vulgo Ob. Sic enim idem Mela: *Secundum Blyterras Obris fluit*; Arverniæ nimirum è monte, qui ab ipso Pomponio & Cæsare *Gebenna* nominantur; à Strabone si rectè excuditur, *Gemmeni*, pro Gebennicis, quæ spectant ad Pyrenæos. Templum in eâ modicum sed lautè exstructum. Oppidum cives seu familias amplius mille habet; muris cinctum, sed antiqui operis. Hic orta creditur *Albigensium hæresis*, quibus vxores erant, vt in ficta Platonis Republ. communes, quique corporum negarent resurrectionem, & animas extingui cum corporibus, aut in pecora etiam migrare cum-

re cum Pythagoreis impie credebant, neque pro vita functis orandum, rati, templa omnia profanabant aut euertebant. Regnante tum in Gallia Philippo II. Augusti cognomento, & Innocentio III. Pont. Maximo, qui Dominicum aduersus hos sectarios cum suis Euangelicæ prædicationis gladio pugnare iussit, & vtilem in Gallia operam annos ipsos decem nauarũt. Verum in errore peruicaciter obdurantes, cẽtum amplius millia ab octo Catholicorum millibus duce Simone Montfortio Comite Christianissimo ad internecionẽ cæsa, cũ Petro Tarraconensium Rege, & Momellino Afrorum Marochi tyranno, ad Christi annum MCCXIII. Sic incensis Biterris extincta & hæresis, in Caluinianis hodie repullulauit, vt scriptores complures ostendunt sacri, nuper in *Magna Patrum Bibliotheca* Coloniæ edita. Alij à Gothis sub iugum redactas Biterras memorant, & à Carolo Martello solo æquatum oppidum. *S. Huberti* pagus tertio abest milliari. Antonino Augusto *Cessera* est vel *Araura*, à vicino fl. Araurione, de quo idem Mela libro II. cap. 5. *Tum ex Gebennis demissus Arauriο iuxta Agathan*. Hic quoque vicus Agathan, hodie curtato vocabulo *Agd*

indig,

indigitatur, vnoque à mari distat lapide seu miliari. Flumen autem *Eraut* vulgo & Straboni *Rauraris* est, ex iisdem promanans Aruerniæ montibus, quos, vt dixi, Cæsar & Mela Gebennos nominãt. *Cesseron* vero Antonini videri ex ipso colligas interuallo. Sic enim ille in Itinerario. *Ab Araura siue Cessarone millia pass.* X. quæ tres prope adæquant leucas; quibus Blyterris S. Huberti fanum abest. Adiacet sexto etiam milliari *Fabregat*, quem vicum esse *Forum Domitij* Antonini è passibus discas interiectis, estque altero à Montepessulano lapide.

MONS-PESSVLANVS, hodie *Montpellier*.

SVNT qui *Montem* etiam *puellarum* nominent, noua enim appellatio videtur à Monte ducta, neque veterum quisquam ita nominat. Quod enim Volaterranus *Agathopolin* (quasi *bonorum ciuitatem* dicas) antiquitus dictam vrbẽ opinatur, fallit & fallitur, nisi quid iudicans erro. E Pomponio etenim Mela iam docui *Agathan* iuxta Arausionem esse fl. qui hodie *Eraut* dictus est, dictumque mutato nonnihil vocabulo, hodie

Agde, vel *Agd* oppidum. Situm adhæc Agathopolis in Ptolemæi Tabulis obseruali. 2. Ta. 3. in Narbonēsi Gallia. Quare cum Arautio per Agathā auctore Mela, non per Montem pessulanum decurrat, non est Agathopolis; quæ vrbs duobus à mari miliaribus abest, *Lez* vero fluuius vno inde miliari fluat, cuius ponte *Ledū* idem Mela nominat lib. 2. de situ orbis cap. 5. Montem cui imposita vrbs *Setius* est Ptolemæo. *Sigius* Straboni: quæ ab incolis forte corrupta vox, vt fit, in Pessum aut Pessulum, aut alia de causa sumpta appellatio est. Certe Lud. Viues Valentinus, libr. 1. de causis corruptarum artium, Nitiobriges illic situm olim habuisse opinatur. Ciuitas sedes est Episcopi, loco & nomine minimè vetus; mœnibus bene vallata, domos habet recte architectatas, vt non melius Barcino in Hispania sit ædificata, lateribus coctis & quadratis, quib. tota illa vtitur regio. Templum duplici ornatū turri, Episcopo pendit tria scutatorum millia annua. Quinque monachorum cœnobia, velatarum Virginum duo: Familiæ ciuiū olim bis mille. Academia est legum Cæsarei atque Canonici Iuris, tū maximè claret Medicæ artis professoribus cōillectis cū cæli clementia, tum soli fertilitate, ciuium

uiumque humanitate. Ager enim circũcirca ferax vitæ necessaria abundè suppeditat. Huius olim dominus & incola S. ROCHVS fuisse perhibetur, qui annos natus XX ditione se sponte abdicat, patriaque relicta bona distracta inopibus largitur, Italiamque obiuit lustrando, & signis admirãdis clarus pestilẽtem luem diuinitus curabat. Post ad hanc cum remearet vrbem, quam antea vltro Dei amore repudiarat, bello flagrante vt explorator capitur, in vinculisque annos quinque habitus, ibidem animam Deo reddidit. Mortuus vero à parentibus pro filio agnitus, (crucis enim signo à natali in pectore insignitus erat) terræ honoris ergo mandatur, post etiam sacello in patria, vt beatis adscribendus, honoratur. Corpus eius & Lipsana, vbi hodieq; coluntur, Venetias translata. Romæ quoque nosocomium templumq; eidem via Flaminia dedicatum. Obijt autem anno Christi, vt ferunt, MCCCXIV.

Octauo inde milliari *Nemausus* aditur.

NEMAVSVS, vulgo *Nimes.*

COloniam hanc Romanor. in Arecomicis Ptolemæus numerat. Strabo vero vberius de hac vrbe: mercimonijs quidem Narbone inferiorem esse, ciuili tamen politia, reique publicæ administratione superiorem affirmat. Imperare vero vicis XIV. quorum & C. Plinius meminit libro 3. capite 9. quibus & clari viri atque illustres vectigal penderent Latij iure vsi. In his Romæ olim Quæstura atque Ædilitate perfuncti: vt & Quæstores Romani in Nemausenses eorum subditos nihil iuris in vectigalibus exigendis haberent. Hic Antiquitatis multa vestigia. Spectatur *Amphitheatrum*, exterius quidem integrum magis quam quod Veronę aut Emeritæ visitur; interius vero decus præ cæteris Europæ retinet. Muris cingitur, gradusque apparēt integri, quibus sessitabant in spectandis ludis venationibusque theatralibus; nisi quod intus pauperiores domicilia nunc habeant. Ad hæc *Capitolium*, vulgo *Capducil* nominant, ibi quoque, vt Tolosæ Tectosagum, fuisse opinor

opinor. nam & Gallica fuisse *Capitolia* docet Petr. Pithœus Aduersariorum Subseciuorum libro II. cap. XVIII. ad Romani imitationem Capitolij, vt & nomen indicat & forma. Incolæ tamen Romanorum delubrum fuisse opinãtur, Hadriani Aug. iussu in Plotinæ vxoris gratiam, quæ ad imperij illum euexerat fastigiũ, constructum. Forma est quadrangulari: à lateribus decem fulcitur columnis, à fronte sex, totidemque è regione; tectum magnis constructum lapidibus. Multæ tota vrbe *Inscriptiones antiquæ* à Romanis positæ, in mœnibus, ciuiumque ædibus passim leguntur; collectæ etiam sunt à Grasso, & Pontano eruditis hominibus, in lucemque editæ. His addo Nummos Roman. veteres Augusti & M. Agrippæ reperiri, cum duplici eorum facie, ita notatos: IMP. DIVI F. P. P. *Imperator Diui filius, Pater patriæ.* In auersa eius parte lego, COL. NEM. *Colonia Nemausus*, non vt inepte quidam & imperitè, *colligauit nemo*: vt obseruat doctè Ant. Augustinus V. C. in VI. Dialog. antiquitat. de Numismatis Latine nuper euulgato. Ciues familiasque Nemausus numerat amplius bis mille. Ager quoque vt Occitania tota, quæ Languedocia vulgo

dicta, ferax frugum existit Decima inde leuca *Auenio* abest, de qua vrbe nunc dicendum videtur.

AVENIO Cauarum, hodie *Auignon.*

& RHODANVS Fluuius, *le Rhosne.*

GEographis celebrata hoc nomine in Narbonensi prouincia vrbs, Pontificiæ ditionis: de qua olim Mela sic pronunciat libro 2. capit. 5 *Vrbium*, inquit, *quas habet Narbonensis regio opulentissima: Vasio Vocontiorum, Vienna Allobrogum, Auenio Cauarum.* Nominat & Plinius libro 3 ca. 4. in Latinis vrbibus, ac Ptolemæus Tab 3. Coloniam vocat. Hodie nominis celebritatem multis de causis seruat. *Rhodano* adiacet, quē fluuiū Galli vulgo *le Rhosne* indigitant. Plinius vero hoc ornat elogio: *Agatha quondā Massiliensium, & regio Volcarum Tectosagum, atque vbi Rhoda Rhodiorum fuit, à quo ductus, multo Galliarum fertilissimus, Rhodanus fluuius.* Testatur idem B. Hieronymus prologo Commentarij

Secundi

Secundi in Epist. Pauli ad Galat. *Opidum* inquit, *Rhoda, coloni Rhodiorum locauerunt: unde amnis Rhodanus nomẽ accepit.* A Galliæ ergo Narbonẽsis Rhoda opido teste Plinio, Rhodani fluminis fluxit nomen. Est & *Rhoda* à Rhodiensibus etiam deducta colonia in Hispania iuxta opidum *Rhodes*, ad montis radicem, vbi hodieque monasterium est S. Petri Rhodensis. Ab hac Hispaniensi Rhoda Rhodanum fl. nomen deriuasse falso Volaterranus his verbis tradidit: *Eius etymon Plinius & item Hieronymus noster à Rhodiorum colonia vrbe citerioris Hispaniæ venire volunt.* Non enim Plinius de Hispaniæ, sed Galliæ Rhoda meminit, de Galliæ Narbonensis agens vrbibus, non Hispaniæ. Imò Pet. Beuterum Valentinum in errorem Volaterranus traxit: nam Hieronymus, Galliæ ne an Hispaniæ Rhoda, non adiecerat. Refellit & loci interuallum, interiectis Pyrenæis montibus, leucarum amplius L X. Quidam à rodendo aut circumeundo, vt Etrusca lingua Petrarcha in Odis, etymon ducunt, non rectè. Omnium enim id fluminum proprium esse, hinc abradere, illic addere terram, sat notum: vt de eo ipso Rdodano Silius Italicus libro 3.

Spuman

Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos.

Seruius quoque Honoratus ad VIII. Æneidos Virgilij hunc verſum 63.

Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,

in ſacris Tiberim *ſerram* dictam ait, & ab antiquis *Rumonem*, quaſi ripas ruminantem & exedentem: alibi etiam *Terentum* à terendo.

Naſcitur autem RHODANVS ex alpibus, qua Galliam ab Italia ſeparant, in Heluetiorum, qui *Suitzeri* vulgo nominantur, finibus, & Allobrogum, qui vulgo *Sabaudi*, quaſi ſubalpini, dicti, iuxta montem Brigam vulgo nominatam: quo etiam oritur ac defluit clari nominis flumen Danubius, itemque Rhenus, qui hodie *le Denau, & le Rhin.* Eo autem impetu fertur à Poeninis alpibus, ait Marcellinus, libr 15. extremo, vt lacus Lemanus, qui Geneuam alluit, impedire nequeat curſum: & iuxta Lugdunum Ararim fl. recipit, quẽ Plinius ibidem *ſegnem* vocat, vt *rapidum* contra Rhodanum. & Claudian. libr. II. in Rufinum de Gallis:

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

Idcirco

Idcirco, opinor, quod (vt Cæsar libr. 1. belli Gallici, ait) lente adeo hic feratur, vt propius astans quam in partem fluat, iudicare vix queat. adeo placide labitur etiam per Lemanicum lacum. Mistis itaque fluminibus, vulgo Lugdunum *Sone*-*Rhone* appellitant, vt eiusdem Ammiani Marcellini temporibus Ararim F. *Sauconnam* nominarint, vt testatur extremo libro xv. Historiarum: Et post in *Sone* degenerarit. *Lisaram* etiam recipit Rhodanus, quam Isaram ibidem Plinius, ac Geographi nominãt. Altera inde leuca *Druentia*, vulgo Druenza, de quo torrente mox pluribus. Altero supra miliari Sorga fluit, quem fluuium *Sulgam* Strabo libro iv. nominat, estque Petrarchæ decantatus versibus. Hinc quinto exinde lapide nascitur, *Valclusam* suam (quasi clusam rupibus vallem dicas) irrigans, vicinusq; Cabrieri vico, vbi eius *Laura* versibus toties celebrata matrona domicilium habuit, cumque eius Sorgæ fluminis antiquum nomen Petr. Bembus ignoraret in Epistola quadam Leonis X. Pont. (cui à secretis fuit) Legato Aueniononensi scribens, mandat Antonio Thebaldo Poetę, vt illa ferebant tempora, non indocto, iura vectigaliaque pontis

pontis fluminis Sorgæ tribueret, *Sorgeam* vocans, cuſo vocabulo vtcumque Latino ritu, quem *Sulga* à Strabone diximus nominatum. Fugit idem etiam vetus nomen Petrarcham. Rhodanus itaque (vt ad me redeam) duplici oſtio in mediterraneum ſe mare exonerat: primo Pecai, ad Aquas mortuas, quæ à Geographis *Foſſa* ſunt *Mariana* dictæ: de hinc in *Thor de Boco*, decimo Auenione lapide. Decurrit autem vt diximus, rapido curſu, ingens atque amœnus: piſces etiam generans, quibus finitimi piſcando nutriantur. Ponte Auenionem intrabis percelebri, qui omnes omnino vincat elegantia; paſſuum eſt mille centum ac ſeptem. In aditu turris eſt præalta noui opidi, quod eſt Gallorum Regis, cuius & pontis pars maxima eſt: cetera Pontificis Max. Romani iuri cum opido cedunt. Vrbs antiquo ritu lapideis cincta muris, Epiſcopalis ſedes eſt. Domus affabre factæ gentis more, Languedocenſis architecturæ. Palatium Card. Villanouani, item à Pontificibus extructum, dum annis amplius ſeptuaginta quatuor hac in vrbe Pont. ſederent, iā inde à Clemente V. vſque ad Gregorium XI. Ædes ſacra Cathedralis modica eſt, Epiſcopum bis mille aureis

locu

locupletat. Septem in se res habet, quarũ vnaquæque septẽ alias continet. Sep[t]ẽ Palatia, Parochias, Xenodochia, Monasteria Virginum, totidemque Monachorũ, Conuentus sep[t]em, septem portas. Cœnobium etiam hic Carthusianorum, cui par non est in vniuersa Gallia. Familiis olim oppidum quatuor milibus constare visum. in his opulẽti mercatores & opifices varij generis. Iudæos quoq; alit centũ amplius 50. qui & vsuris negotiantur. Legatus hic Põtificis nomine Episcopus residet, qua Legatione nõ alia splendidior sedis Apostolicæ existere creditur. Ecclesiæ vero quomodo cesserit, breui referã. Ioanna I. eo nomine Neapolis Regina, improbũ ausa facinus, Andreã Regem coniugẽ aureo à se cõtorto fune ipsa strãgulauit. Clementi itaq; VI. Auenionem precio XXX. aureorũ millib. vẽdidit anno 1352. vt eius interuentu regnum ipsa ab Hungariæ Rege occupatum, reciperet: detracta ex hac, emptione pecunia quam pendere pro Neapolitano regno feudali iure intermiserant. Pontificum exinde sedes, vt dixi, fuit. Benedicto etenim XI. morte sublato, Clemens V. Gallus Papa renunciatur, qui Burdigalensis erat Archiepiscop. Iussit itaque Cardinalium collegium Lugdunum conuenire. Exinde annos septuaginta, & quot excurrunt,

runt, Auenione ſedem fixerunt Ponti. fices, plerique Gallicæ gentis; cum Francorum Regum gratia, tum vt patrium ſolum illuſtrius redderent. Mortuo iam Gregorio XI. Romam ſedes denuo tranſlata. Populus Roman. cum armis in conclaue Cardinalium (qui de eligendo Pontifice de more coierāt) concurrens, Romanum eligi, aut ſaltem Italum cum minis iubent Pontificem. Secutum hinc ſchiſma diuturnum, annorum prope XL ad Concilium vſque Conſtantienſe: cum Martinus V. Papa renunciatus Chriſtianis principibus obedientiam ei deferentibus, ceſſauit ſchiſmatis longa factio atque tumultus. Hic in monaſterio Minorum oſtenditur ſepulcrum Lauræ illius Petrarchæ verſibus decantatæ: etſi Alexander Velutellus alibi in Sulgæ Fl ſupradicti inſula in eiuſdem ordinis cœnobij templo conditam euincere conatur. Multa certe hic in eius laudem epigrammata Etruſca, Latina, & Gallica, etiam Gallorum Regis Franciſci I. appenſa leguntur: longè tamen poetæ illius, naſcente iam Latina lingua, verſibus celebratior virgo illa manſit, ac perdurat fama perēnior lectis Petrarchæ Odis ſuauiſſimis iuxta & elegantiſs.

Dignos

onc I. habita, *Carpentoractensis* dicta. Septima inde leuca *Malacena* oppidum trecentorum inquilinorum, & arx, vbi ditio illa Pontificia Comitatus Aueni-onensis septem miliarum longitudinis, latitudinis vero nouem, terminatur, ceteros enim vicos pagosque prætereo. Secundo inde lapide à Malacena Delphinatus inchoat, finitque Languedocensis ditio ac Pontificiam, montuosa ad Italiam vsque regio.

DELPHINATVS: Et cur Franciæ Princeps Delphinus nominetur.

Singulatim sic dictus, cum parte aliqua Sabaudiæ, quæ olim Allobrogum pars clarissima, Cæsari in Commentariis Gallicarum rerum, Historicis atque Geographis, ob bellicam fortitudinem, nulla Gallica gente, teste Liuio libro XXI. ab vrbe condita, opibus aut fama inferior exstitit. Hac etiam regione Hannibal in Italiam iter habuit,

buit, rege tum Allobrogum Branco, quem frater natu minor regno pepulerat. Pœnorum itaque dux transiens, cuius esset ius regnandi disceptari volens, Brancum in regnum restituit; quo nomine hic eius exercitum annona ac vestibus iuuit, dum Alpium rigorem traijcerent Barbari. Post in Romanorum potestatem Allobroges armis concesserunt, teste L. Floro, libro tertio Histor. Roman. capit. 2. armis, inquam, Cn. Domitij Ahenobarbi, & Q. Fabij Maximi, anno vrbis conditæ, sexcentesimo tricesimo primo, qui ipsis quibus dimicauerunt in locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa fixere: etsi hic Romanis mos inusitatus fuerit. Nunquam enim (vtor Flori verbis) populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobrauit. De qua eius erga victos populos humanitate sic canit Claudianus:

Matris non dominæ ritu, ciuesque vocauit

Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.

At

At iidem Allobroges iugi mox impatiẽtes per Legatos suos Catilinariæ cõiurationis societatem inierant, M. Tullio & C. Antonio Coss. anno post Ro. Cond. I Ↄ CXC. vt Sallustius idemque Florus initio libri IV. restatum reliquerunt, quorum tamen erga Ro. fidem constantiamque Cicero Deorum prouidentiæ potius quam genti refert acceptã, orat. III. in Catilinam. Et Cæsar libro 1. belli Gallici, post principium, de Heluetiis sic refert: *Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur, existimabant, vel vi coacturos, vt per suos fines eos ire paterentur.* Quare seditionibus idonei vicinis etiam populis tum visi, & Horatius Flaccus Oda XVI. Epodon sic canit:

Nouisque rebus infidelis Allobrox.

De quorum etiam fidei lubricitate idem Tullius Orat. de prouincijs Consularibus, & in ea pro M. Fonteio. Sunt tamen qui de vniuersa Gallica gente Lyrici illud capiant; de qua Cæsar Commentario III. & IV. belli Gallici, omnes scribit Gallos rebus nouis studere solitos, & ad bellum celeriter, mobiliterque, vt & hodie, commoueri. Bellicosa itaque natio fuit, sed Strabo li. IV. Geogr.

Geogr. suo æuo (qui August ac Tiberii æqualis, hoc est, cum pax nato *Christo* toto terrarum orbe fuit) armis positis agriculturæ se Allobroges dedisse affirmat.

Delphinatus autem appellatio cur Principi heredi Francici regni attribui cœperit sic accipe. Cum esset Delphinatus à corona segregatus, vt & Britones, Burgundi ac Normanni, cessit legitimo iure Delphinatus Vmberto cuidam, regnante in Francia Philippo Valesio sexto eius nominis. Qui, quod liberis careret, monasticam vitam Prædicatorum criminibus anteactæ vitæ expiandis, est complexus, Pontifici ditionem illam precio, quod piis impenderet operibus, vendere paratus: renitentes vero dynastæ, vt Regi Gallorum potius relinqueret auctores fuere, vt contra Sabaudum, qui cum semper bella gessisset, regia tuta retur auctoritate. Placuit Vmberto consilium: verum ne nominis facti que apud posteros excideret memoria, tabulis hac lege transcripsit Regi ditionem, si Princeps regni Franciæ eius se titulo ornaret; qui mos ad hanc durat ætatē, vt primus hæres regni nominetur *Delphinus*. Insignia autem ditionis duo delphini pinguntur, vnde & natum nomen

C arbitran

arbitrantur. Caput autem seu metropolis Delphinatum *Vienna* est Galliæ, Episcopi quoque sedes; quæ Sanctos & egregios tulit viros, doctrina etiam claros; vt Ado Viennensis, historiæ & Matyrologij auctor, quod Adoni Treuirensi falso attributum. Decimo septimo miliari *Talart* occurrit, interiacet tamen *Mampier*, cuius incolæ subditi sunt Orangiæ Principis, quæ *Orangia* Geographis, Melæ lib 2. ac Plinio lib. 3. cap. 4. *Arausio est Secundanorum*. TALLARD autem opidum ab antiquis Geographis *Tricolorum* dictum, flumine tamen alluitur *Druentia* dicto, hodie *Durenza* est, cuius & meminit libro XXI. ab V.cond. T Liuius. Hic fl alpibus delapsus ad Auenionem Rhodano miscetur, indeque in mare delabitur. Paret nobili Franco, cũ arce, quam idem Druentia flumine ambiendo munit egregie, vix vt par illis terris munimentum appareat, duos principes hospitio accipiat, adeo laxa arx est, aris, sacrisq; Catholico ornata ritu, armis quoq; omnique telorũ munita genere. Cetera non persequar, quod bellis Galliæ ciuilibus vetear ne euersa multa sint, quæ deformant ruinis florentissimum illud Galliæ regnum. Hinc *Ebredunum* miliaria octo interiecta sunt.

EBRE.

EBREDVNVM, vulgo *Embrun.*

Ebroduni, vel *Ebreduni* vocabulum Galli decurtarunt in Ebrun, post in *Embrun*. Vetus enim vrbs sic à Geographis nuncupata; etsi Strabo, nisi mendū subest, lib. 3. Geograph. *Epebrodunum* nominet. Plinius lib. 3. ca. 4. & 20. *Ebrodūtios* incolas; in Conciliis vero *Ebredunū* per secundum vocalem scribunt. Antoninus in Itinerario metropolim facit montium Alpinorum, vt Delph na es omnes ferè *Alpinæ gentes* dictæ. Archiepiscopus est Ebredunensis diœcesis qui sacris præest, annuumque censum habet quatuor millium coron. Antistes hic olim Gulielmus Ebredunensis Archiep. qui sextum Decretalium iussu Bon. facij octaui collegit, vt testatur ca. sacrosan. ctæ Rom. De summa Trinit. & fide Catho. lib vi. Decret.

In Cabolonensi prouinciali Synodo Galliæ subscripsit *Etherius Episcopus Ebredunensis*. Condita vrbs in rupe, male materiatis domibus, vt in montibus assolet, templo medio, & vix Collegiata Ecclesia, nedum Cathedrali ac metropolitana digno. Familiæ pl. mi. octingentæ: ciues optimi, dictoque audiētes Magistratui sūt. Imago hic B. Virginis Ebridunēsis

aut Rialensis miraculis plurimis claræ, vt votiuæ appensæ tabulæ ostendunt, armorum ac nauium signa, vt à Delph nati bus religiose frequentetur. In colle humili situm opidū, cuius ad radicem *Druentia* fl. (accolæ *Durenza* hodie nominant) decurrit, vadoq; æstiuis mensibus iuxta Ebredunum transiri potest. Alpino oritur monte qui *Monnizo* vulgo vocatur, ab antiquis *Vesulo* (quo etiam Padus Italiæ magnus nascitur fl. vt suo loco docebo) Rhodano se insinuās ad Auenionem. Hoc etiam fonte Druentiæ fluit *Dorias* maior, sed in Italiam versus flexo cursu per Salassos, vt videbimus. *Druentiam* autem Annibal Pœnorum bello Punico secundo dux cum exercitu operose traiecit, priusquam alpes attingeret. Rhodano enim transmisso ripam legendo eò peruenit tā dem, vbi postea Munatius Plancus Lugdunum vrbem, (Dunum à Gallica lingua olim vsi montem vocabāt) teste Plutarcho, siue Acciaolo in Hannibale, & Seneca epist. 91. condidit: inter ora Galliæ penetrans, mare mediterraneum declinans, ne P. Cornelij Scipionis militibus occurreret: inde per Tricastinos, Vocontios, & Trigorios (qui populi hodie Ducatus sunt Sabaudiæ ac Delphinatus) rectà ad Tau-

rinos

rinos tetendit in Italiam: (quæ vrbs olim *Augusta Taurinorum*, vulgo *Tourin* dicta, Pedemontij egregia ciuitas, à Francisco Duci quidem Sabaudo vi erepta, sed Cæsaris Caroli V. armis reddita) non autem Pœninis montibus, vt falsò à plerisque etiam à Plinio, est traditum. Sed de his vberius, cum de Alpibus mox erit disserendum. Iter itaque Annibali hic peruium, nisi cum ad Durentiam flumen cum exercitu venit: cuius Fl. naturam mire descripsit hisce verbis T. Liuius lib. XXI. *Sedatis*, inquit, *certaminibus Allobrogum, cum iam Alpes peteret, non recta regione iter instituit, sed ad lauam in Tricastinos flexit. Inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Trigorios, haud vsquam impedita via priusquam ad Druentiam flumen peruenit. Is & ipse Alpinus amnis longe omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est. Nam cum aquæ vim vehat ingentem, non tamen nauium patiens est. quia nullis coercitus ripis, pluribus simul nec iisdem alueis fluens noua semper vada, nouosque gurgites faciens (& ob eadem pediti quoque incerta via est,) Adhæc saxa glareosa* (al glomerosa) *voluens nihil stabilis nec tuti ingredienti prabet, & tunc forte imbribus auctus ingentē trãsgredien-*

gredientibus tumultum fecit, cum super cetera trepidatione ipsi sua, atque incertis clamoribus turbarentur. Silius quoque Italicus iisdem prope verbis, carmine tamen, eandem rem libro 3. de bello Punico secundo descripsit. Versus propter elegantiam apponere non piguit:

Turbidus hic truncis saxisq; Druentia latum
Ductoris vastauit iter. namq; Alpibus ortus
Auulsas ornos, & adesi fragmina mötis
Cum sonitu voluens fertur latrantibus vndis,
Ac vada trāslata mutat fallacia cursu:
Non pediti fidus, patulis non puppibus aequus,
Et tunc imbre recens fuso, correpta sub armis
Corpora multa virûm spumanti vortice torquens,
Immersit fundo laceris deformia mēbris.

Ebreduno autem ad S. Crispinū leucæ 3. Quatuor hinc Briansonum, qui vicus Straboni & Ptolem. Brigantiū est, Ammiano *Virgantia*. Hinc ALPES, quibus Massiliam præire volo.

MASSI-

MASSILIA, vulgo *Marseille*.

ALtera à Narbone Martio illustris Narbonensis prouinciæ vrbs MASSILIA, optimarum olim disciplinarum studiis florentissima, legibusque sanctissimis optime constituta; mercaturis nunc potens, vt maritima, condita Macedonibus Astyage, Hebræis vero Sedechia imperante, circa secundam & quadragesimam Olympiadem, annis ante Christum sexcentis tredecim, post obitum vero Dauidis CDXXXIV. Quæ semel diruta, à Phocæensibus Asiæ populis instaurata est, qui Cyri tyrannidem fugientes, destituta Græcia, in hanc Galliæ oram se contulerunt. Hæc agrum vini præstantissimi feracem habet, estque hodie totius Galliæ prouinciæ emporium, celeberrimum, pro vetere illo nec minus celebri gymnasio. De huius vrbis laude & moribus Strabo libro IV. Geogr. Cicero ora. pro L. Flacco. & lib. II. offic. Plautus in Casina; toruque celebratur Ad gijs; *Massiliã adnauiges: Massiliã venisti: & Massiliensium mores.* Et Valerius Maxim. lib. II. ca. VI. itemq; Erasm. Chiliade II. Adagiorũ, extrema Cẽt. III. vbi Athenæũ, Suidãq; de aliorũ Massiliensium

lenfium, forte Africanorum, eg ſſe mobilisautumat, feueris Gallorum potius ou in mollibus & effeminatis. Ioann. Brodæus lib. 3. Miſcellan. cap. 27. non diſcrepare Maſſilienſium mores ait ſitu loci, vt Eraſm. credidit, ſed tempore & ſæculo. De ſeueris eorum moribus tuetur Iuſtus Lipſius, Belgarum doctiſs. ad Taciti Germaniam: item Cælius Rodiginus lib. xvi Antiquarum lect. cap. octauo. Nunc ad *Alpium iuga* tranſeamus.

ALPES ITALIAE.

ALPIVM nomen à voce *Alpum*, quæ Sabina lingua *album* ſignificat, Feſtus deducit, & Græcè ἄλφος *vitiligo* eſt, morbus niuium referens candorem, ſeu impetigo. Seruius Honoratus initio x. Æneid. ad illa:

Exitium magnum, atque Alpeis immittet apertas:

omnes montium altitudines à Gallis *Alpes* tradit nominari: plura inibi è M. Catone ac T. Liuio, muri vice Italiam tueri, & aceto perrupiſſe Apenninas alpes: & quinque viis tranſiri iam tum potuiſſe, è M. Varrone oſtendit δειχθικῶς. Hos

m on

montes Rom. Imperio saluberrimos C. Plinius, Polybius vero Italiæ robur nominat. Neque enim à finitimis Galliæ, Germaniæque prouinciis modo separat, sed veluti muro valloque tuetur. Hinc labor ingens obiectus Annibali, vt igni acetoque rupes aliquot emollire ac perrumpere ad penetrandum cogeretur. Iuuenal. Satyra x. v. 153.

Diduxit scopulos, & montem rupit aceto:

Idemque Polybius & ex eo Liuius libr. xxi. à Rhodano ad ingressum vsque Italiæ triginta amplius hominum millia, multaque iumenta equosque amisisse rigore locique asperitate tradunt. Et P. Corn. Scipio Africani parens, oratione Liuiana libr. xxi. qua suos ad pugnandum cum Annibale incendit, verendum ait ne Alpes eius victores, non ipsi milites Rom. sint futuri. *Nihil magis,* inquit, *vereor quam ne antequam cum hoste pugnaueritis, Alpes vicisse Annibalem videantur.* Vtque Pyrenæi montes Hispaniam cingunt ac muniunt à mediterraneo mari ad Oceanum vsque Gallicum, vtroque mari cinctam; ad eundem modum Alpibus Italiam natura vallauit ab Hadriatico ad Ligusticum seu

Tyrrhenum mare: vtraque nimirum vallata à mari Prouincia. Hinc & peninsulam Geographi vtramque propemodum vocant. A Varo fl. Alpes incipiunt appellari, nomenque in Liguria retinent, nominatæ ex parte à Geographis *Vada Sebatia*, vt auctor est Strabo, Qua regione nunc Sauona est ad Genuæ littus, definiuntque in Istria Italiæ ora, ad Arsam fl. quem, *Arsiam*, Geographi appellant, Galliam à Germania separando. Distantque hæc flumina passuum millibus quadringentis quinquaginta, efficiuntque leucas centum duodecim. Interuallum maris vtriusque nominibus distinctum variè, quæ nomina quam Geographi solent, certiora proferam. Ad Susam ciuitatem Alpes Cottiæ sunt, vnde initium esse Ammianus Marcell. lib. xv. extremo auctor est. Eius verba, ne quis alibi sitas opinetur, apponam: *Vnde ad Solis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum, quas rex Cottius perdomitis Gallis solus in angustijs latens inuiaque locorum asperitate confisus, lenito tandem timore in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis extruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viatoribus opportunas, medias inter*

inter alias Alpes vetustas. Super quibus comperta paulo postea referemus. In his Alpibus Cottijs, quarum initium à Segusiano oppido est, præcelsum erigitur iugum, nulli fere sine discrimine penetrabile. Segusio ergo ad Genuæ vsque ripam Cottiæ nominantur alpes, vt & Plinij paret auctoritate lib. III. cap. XX. *Cottianæ,* inquit, *ciuitates Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagieni Ligures, & qui montani vocantur, Capillatorumque plura genera ad confinium Ligustici maris.* Ibidem Augusti trophæum describit, de quo mentio à nobis habita cum de Emerita Hispaniæ verba faceremus, quod de subiectis à mari ad mare gentibus alpinis posi ü. Ex his deuictis gentib. ibidem nominatis XII. excepit Cottianas, quæ hoc bello Romanis minime aduersabantur. Erat enim Augusto Cottius addictus, atque amicus, teste Marcellino, iis quas iam attuli verbis, alijque idem auctores, vt Aurelius Victor, testantur. Ab Susa itaque, quam Segusia est, (iuxta quæ Cottij exstate monumentum idem Ammianus ait) ad Genuæ ripam Cottiæ sunt Alpes nominatæ. SVSA autem

ad radicem siti montis Sinisij, qui vulgo *Monsinis* dictus. Quo monte alteroque *Mongeneb a* nominato, non procul à Monsin s in Galliam via ducit, atque in Hispaniam, Ebreduno nimirum, Carpentoracti, & Auenione, &c.

Vltra *Graij & Pennini montes* sunt; per illos quidem, vt è vulgi opinione Plinius memorat, transiit Hercules Græcus: per hos vero Pœni & Hannibal. Verum enimvero de transitu illustrium ducum per hos montes & an inde appellationem sortiantur, commodius mox disputabitur. Ad Eporediam, & Augustam Prætoriam Salassorum vrbes, hæ pertinent Alpes: quarum altera vulgo *Hiurea* nominatur, altera *Osta* seu Augusta, locusque *Vallis Osta*, *Val de osta*: iuga vero hodie *Mons S Bernardi*, à Bernardo quodam templi quondam Augustani Archidiacono, sanctissimæ vitæ, qui non tantum montium hic incolas ad Christi fidem prædicando Euangelium traduxit, verum etiam dæmonem pepulit, qui hæc loca latrocinando insederat. Postea monachus cœnobium exædificauit, ibidemque sanctissime exspirauit, nomenque monti reliquit; vt Graiæ alpes mons minor Sancti Bernardi appelletur, qua Lugdunum

Alpes Graia & Pennina.

dunum iter est, finitimæque ad loca, Dein alpes incipiunt Rhetiorum, qua ducit via Tridentum atque Vennonam. Sic enim Strabo libr. 4. Geograph æ: *Supra Comum, quod est ad radices Alpium situm, habitant versus orientem Rheti & Vennones, ad alteram partem Lepontij, Tridentini, Stoni & alia complures gentes.* Hodie *Sancti Gothardi montes* nuncupantur, quæ via ducit in Tyrolensem comitatum & in Germaniam.

Penninas autem Graiasque Alpes nomen sortitas ab Hercule & Pœnis illac transeuntibus in Italiam, qui referat vidi neminem: Plinius tantum vulgi illius æui adfert opinionem, nullo alio(vt assolet in talibus commemorandis) auctore laudato: hac vsus voce, *memorant*, in his verbis, libr. 3. cap. 17. *Salassiorum Augusta Pretoria, iuxta geminas Alpium fauces Graias atque Pœninas. His Pœnos, Graiis Herculem transisse memorant.* Sempronii nihil adfero, quod suppofititius fit auctor, vt alibi docuimus, non verus ille & antiquus historicus à priscis laudatus: sed nec ille quidem Herculem nominat de Graiis alpibus agens. Certe Titus Liuius, auctor Plinio antiquior, aliter longe sentit, imo eos admiratur qui Pœnino monte trāsisse

Annibalem, ab eoque nomen inditum fuisse asserunt. Nec enim verisimile videri alpes illas iam tum peruias pedibus fuisse in Galliam versus; quin clausas potius à Semigermanis, vt vocat. Adhæc Veragros incolas montis illius Pœnini negare nomen à Pœnis deductum, sed potius à Pennino quodam consecrato in summo montis vertice sic appellatum. Liuij verba libr. 21, ab vrbe cond. apponam. *Ex ipso Hannibale audisse* (se L. Cincius Alimentius refert) *postquam Rhodanum transierit, triginta sex millia hominum, ingentemque numerum equorum, & aliorum iumentorum amisisse in Taurinis, quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digresso. Id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quànam Alpeis transierit, & vulgo credere Pennino: atque inde nomen ei iugo alpium inditum, transgressum. Cœlius per Cremonis iugum dicit transisse: qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per saltus montanos ad Libuos Gallos deduxissent. nec verisimile est ea tum ad Galliam patuisse itinera, vtique cum ad Penninum ferant, & septa gentibus semigermanis fuissent. Nec Herculem montibus his (si quem forte id mouit) ab transitu Pœnorum*

norum vllo, Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum, sed ab eo quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant. Hæc Liuius, qui si vera narrat, incolas verius etymon nominis dedisse, cur à Pœnis deriuemus? aut eum diphthongo cur scribendum videatur? Deceptis igitur hominibus nominum, vt fit, affinitate, Pœni & Pennini, verior Liuij sententia est Taurino transisse Annibalem in Italiam. Male itaque Raph. Volaterranus, Taurinos per quos Annibal cum exercitu transiit, eosdem esse cum Graiis ac Pœninis Alpibus, volens quasi Plinium cum T. Liuio, quod hic fieri non potest, conciliare. Clare enim historiæ Ro. parens ait non Penninis iugis, sed Taurino, exercitum duxisse, quod, nisi diuersa essent, non extulisset. Volaterrani sunt hæc: *Ad eos igitur quattuor aditur viis, vna per Ligures mari proxima; altera per Taurinos, quâ Annibal & Hercules transmisere, quorum gratia Pœnina & Graia appellata.* Liuij opinionem Strabonis hic locus confirmat lib. 4. Geogr. viam per summos illos Pœninos montes iumentis inaccessam esse, vt Annibal transire inde non potuerit. Sic enim Geographus: *Qui*

Qui ex Italia profecti montes illos superare volunt, ijs iter per eam est conuallem: deinde in duas scinditur vias: quarum quæ per Pœninas fauces tendit ad summitates Alpium, iumentis est inaccessa: altera per Centrones magis est occidua. Hic vocis e ymon, eo sæculo forte inauditum, non attigit, siue a Pennino (à quo & Apenninus vicinus mons Italiam propè dispescens, dictus esse videri posset) siue à Pœnis ac Punicis: idem tamen post è Polybij auctoritate Taurino transisse cum copiis Annibalem ita testatur, extremo lib. 4. *Quattuor*, inquit, *tantummodo Alpium transitus nominat* Polybius: *Per Ligures, proxime Etruscum mare; per Taurinos, quo Annibal vsus: per Salassos: & quartum per Rhetos: eosque omnis ait esse precipites.* Easdem vias, vna etiam adiecta, M. Varro togatorum doctissimus recenset apud Seruium Honoratum initio decimi Æneidos. *Vna est*, inquit, *iuxta mare per Liguras. Altera qua Hannibal transijt. Tertia, qua Pompeius ad Hispaniense bellum profectus est. Quarta, qua Hasdrubal de Gallia in Italiam venit. Quinta, quæ quondam à Græcis possessa est, quæ exinde Alpes Graiæ dictæ.* Habes hic aliud Graiarum Alpium etymon

mon Varronianum. Meminit idem Liuius & Herculis per Alpes transitus, narrans B.llonesi eiusque fratris S gonesi è Gallia in Italiam expeditionem, gentibus excitis Galliæ Sic enim lib.v. ab v. cond. *Alpes*, inquit, *inde opposita erant, quias inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria sit, nisi de Herculis fabulis credere libet) superatas.* Quæ cum ita sint, efficitur neque Hannibalem Pœnis iter habuisse iugis, neque nomen monti inditum fuisse ab eius Pœni transitu. Ac ne ab Herculis quidem transitu, qui planè fabulosus ex stat: neque Strabo vel Pomponius Mela Plinio vetustiores, ac ne Polybius quidem meminere: Imo *Graias ac Pœninas* Alpes ab Hercule denominatas, vel à *Pœnis* T. Liuius negat: cum sit Polybii auctoritas grauissima, vt hominis accuratæ diligentiæ, summique iudicij: quem non imitatus modò in Historia Liuius, sed ad verbum in plerisque expressit: quemque bonum nominat auctorem M. Tullius in officiis. Hic de se scribit ingenue, non alia se causa Africam, Hispanias, Galliasque lustrasse, quam vtres gestæ in his prouincijs veram narrationem adhibitam esse demonstra

monstraret; Scipioni etiã Æmiliano, sub quo Dux militauit, carus acceptusq; ac perfamiliaris fuit. In Africa etiã dignitatibus ab eo cohonestatus in eã transiit comes, Historiam meditatus, vt auctores oẽs peruolutasse hoc nomine appareat. Quidni igitur Herculis & Hãnibalis Graiarumq; Alpium meminisset, si inde trãsmisisse illos nomenq; montibus indidisse existimasset? præsertim cũ Annibalis expeditionẽ bello Pœnico secundo conscripserit. In qua narratione nihil horũ attigit, nisi Taurinis ingressum Pœnum in Italiam, vt ex eo Liuius commemorauit. Equidẽ nescio cur à Pœnis potius quam à Pennino seu Apennino monte, qui Italiam fere diuidit mediã, nomẽ deriuetur: vel hic à Pennini iugi descẽderit nomine. Alb. Leander dum Liuium cũ Plinio & Sempronio idem sentire opinatur in Pennini nomine, quasi à Pœnis manarit, & de Pennino in vertice dedicato, vt de re dubia dicit locũ ũ videri, fallitur. Plinius enim vulgi duntaxat refert opinionẽ, famãq; publicã sine auctore. Aliæ & Alpiũ viæ, vt per Lepontios, quorũ populorum Iulius Cæsar meminit: item *Iuliæ Alpes*, de quibus T. Liuius, Corn. Tacitus, & Ammianus Marcellinus verba faciunt; sed nõ attingo, nisi tritas & iter habẽtib. magis obuias, à Geographisq; antiquis cele-

celebratas: è quibus cetera peti iubeo. Redeamus nũc in viã. Briansona ad Mõgenetram milia tria; indeque Segusiana, quæ nunc *Sancta Susanna*, dicta, leuca distat. Hunc Delphinatus pagum Strabonẽ *Simgomagum* nominare putat Bonauentura Castilionius. Altera rursus leuca *Ours* abest; quem vicũ *Ocellum* Caius Cæsar Iulius nominet, li.1. belli Gallici.

OCELLVM in Cæsare, hodie *Ours* in Alpinis videri.

OVRS in Delphinatu incolarum familias habet forte CC. Modicũ ergo oppidũ. C. Cæsar primo Commentario Gallici belli *Ocellũ* appellare videtur, latine cusa voce è Gallica; de qua quidẽ locovariæ sunt & repugnãtes interpretum sentẽtiæ. Quidã enim *Ocellũ* Cæsaris esse opinãtur, quẽ vicũ *Oscellã* in Lepontiis Ptolemæus nominet (quod Æg. Tscudus refellit) in hãc deducti sentẽtiã nõ modo vocabuli cognatione, sed & Cæsaris hisce verbis; *Ipse in Italiã magnis itinerib. contẽdit, duasque ibi legiones cõscribit, & tres quæ circũ Aquileiam hiemabãt ex hibernis educit, & qua proximũ iter erat per Alpes in vlteriorẽ Galliã cũ his quinq; legionib. ire contendit. Ibi Centrones, Garocelli, & Caturiges locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur.* Com-

Compluribus his prœlijs pulsis ab Ocello, quod est citerioris prouinciæ extremum, in fines Vocontiorum vlterioris prouinciæ die septimo peruenit. Inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Segusianos exercitum ducit. Hi sunt extra prouinciam trans Rhodanum primi. Quinque legionibus, quarum tres ad Aquileiam hibernarent, in Galliam vlteriorem se tendisse significat Cæsar, itinere Alpibus proximo. Proximum autem iter in Galliam vlteriorem illi interpretes per Lepontias Alpes accipiebant, Alij in alia omnia ierunt, per Graias Alpes profectum asserebant, vbi Tarantasiæ vrbis ruinæ adhuc parent, metropolis illius olim regionis: quod finitimi sint Caturiges, Garocelli, & Centrones, qui Cæsaris iter impedire conati sunt, Alpibus Graiis; efficiebantque hinc *Chielaqum* vicum iuxta Augustam Prætoriam esse *Ocellum* germanum Cæsaris. Henr. Glareanus & Ægydius Tschudius Heluetij contra sentiunt, Ocellum Cæsaris esse *Ours* oppidum ratione euincentes. His equidem quá assentior, calculi vicem loco Strabonis id confirmabo, Primo sunt vsi argumento ab etymo. Corruptum enim aut cusum saltem Ocelli vocem ex *Oulx*, quæ Gallis

Gallis (vt hodie *l'œil*) oculum designat: mutata mox liquida L. in alteram R, vulgo ad hanc diem OVRS dictum oppidũ, quod si diminutiuè Cæsar, vt fit interdum, in *Ocellum* conuerterit, (vel, vt editur, *Ocellum*:) quod sit exiguum hodieque. Alterum à situ loci ductum argumentum, aptum Cæsaris verbis; qui citerioris prouinciæ extremum esse ait Ocellum; quod de *Chielano* verum non est, qui vicus non in finibus est prouinciæ, quia inde ad Græcas Alpes municipia locaque prisca multa citerioris Galliæ interiacent. Duplici itaque argumento, nominis ac loci euincitur *Ours*, vt hodie ab Italis, Ocelum esse antiquorum: nunc ostẽdemus iter Ocelo per Vocontios & Allobrogas ad Segusianos, qua via Cæsar tetendit, commodius esse quam per Graias alpes, qua ratione & occurremus ijs quæ obijci tacite queant, resque tota lucidior apparebit. Ptolemæus enim Vocontios inter flumina Isaram & Druentiam locat, qui fluuij vulgo *Lisara ex Durenza* appellantur, vt in Auenione iam sup. docui. Finitimi illi sunt Allobrogum; vbi ciuitas est Delphinatum, à Pomponio Mela, *Vasio Vocontio*-

rum

rum appellata, seruatque etiam nomen, vbi habitum olim Concilium prouinciale *Vasionense* tempore Leonis I. quod nomen in C.Plinio corruptum est, vbi *Vasto* pro *Vasio* legitur in Narbonensi Gallia, lib 3.Nat.hist. cap. 4. extremo. Et Cn. Plancus epist.ad M.Tullium (lib. x. 17. ad Famil.) cuius initium *Antonius*, Lepidum ad *Forum Vocontij* (al Voconijs) castra habere scribit: qui locus à Foro Iulij (hodie *Frijus* est) quattuor & viginti millia passuum abesset, hoc est, leucis sex, vt quatuor millia pass. milliari assignentur, Idemque Lepidus eidem Ciceroni perscribit epistola, hoc principio: *Si vales bene est* (quæ vltima est eius libri) à confluente Rhodano cum suo exercitu se castra mouisse, continuisque itineribus ad *Forum Vocontium* venisse, & vltra, castra ad flumen Argenteum contra Antonianos, qui ad *Forum Iulii* venerant, fecisse. Ptolemæus Argenteum fl. ad Forum Iulij collocat. Rursus idem ille Plancus epist. 23. eiusdem libri x. ad Famil. quæ incipit: *Nunquam me Hercule*, scribit Ciuarone ex Allobrogum finibus; quæ vrbs hodie Xamberi dicta, Ducatus Sabaudiæ caput, iuxta Isaram fl. sita. Non rectè igitur à Paulo Manutio su-

suspecta de mendo vox ibi visa est. Igitur Forum Vocontium inter Ciuaronem & Forum Iulij erat situm. Quare cum Forum Vocontium 24. pass mill. vt Plancus scribit, Foro Iulij aberat, hoc est leucis sex, non rectè Cæsar, si in Graijs Alpibus fuisset, cum quinque legionibus meridiem versus, ad Vocontiorum fines tetendisset, si breuior per Centrones, Septentrionem versus via patebat ad Segusianos: quo est itinere Cæsar profectus. Cumque Vocontij sint, vt iam dixi, inter flumina Isaram & Druentiam; quique per alpes Graias, hoc est Tarantasia in Galliam vlteriorem tendunt, rarus oras legunt Isaræ fl. Nihil itaque clariùs Cæsaris verbis, nec quisquam melius posset ostendere. Vocõtiorum itaque finibus digressus Cæsar ad Allobrogas peruenit, indeque ad Segusianos, qui cis Rhodanum sunt supra Lugdunum, vnde *Burg* hodie nominatur regio in Bressa. Non certe itaque Cæsar per Græcas Alpes in quibus *Chielano* oppidum situm, quod Ocelũ esse Castilionus opinatur, indeque ad Segusianos cõtendisset tanto longius, quin potius breuiore itinere duplicis diei rectà ad Segusianos tendere melius fuit, relictis Vocontijs & Allobrogibus. Cæsar .n. ab Alpi-

Alpibus Graiis versus Vocontios tendens longius euagatus eundo fuisset; quod verum esse, qui Tabulas Geographicas inspexerit, testabitur. Sed quia suffragari nos velle diximus, etsi patrocinio non egeat nostro, age, symbolum conferamus. Strabonis auctoritate perspicuum euadet, Ocelum Cæsaris esse *Ours* hodie. Sic enim ait lib. 4. Geograph. iter Alpes versus varie describens: *Rursus*, inquit, *hinc ad alteros Vocontiorum fines ad Cottiam, mill. C. vno minus ad vicum Epebrodunum, inde totidem per Brigantium vicum; & ex Scingomago & transitione Alpium ad Ocellum, vbi terra Cottii finem habet.* Eadem hæc nimirum via est, quam Cæsar ingressus cum quinque est legionibus. Nominat enim Epebrodunum (quod opidum hodie *Embrun* esse iam docuimus) & Brianfonum, moxque Scingomagum, (quæ nunc *Seuissiana* est) & Ocellum, *Ours* nunc dictum, vt abunde iam probauimus, oppidum. Quæ loca Cottiarum esse Alpium diximus, quę à Graiis immane quantum discrepant. Cottia enim regio Ocello vico terminatur, testante Ammiano, libro x v. histor. qui à Susa incipere Cottias ait Alpes

Alpes; Strabo vero contra terminari ait. At diuerso habito respectu vnum idemque finis, & caput esse queat. Raimundus Marlianus diuinando conijcit Ocellum Cæsaris esse hodie *Noualesam*, qui vicus ab *Ours* duobus milliaribus abest, sed rem acu non attigit. Obijciat nonnemo, Caturigas, Garocellos & Centronas, Graias Alpes cum incolerent, vt aduersarij supponunt; cumque hæc gentes iter Cæsaris impedire vellent, per eos montes legiones quinque duxisse Cæsarem apparet. Respondeo, Cæsare rem hic gerente nondum Alpinas gentes dicto audientes Romanis fuisse, sed ab Augusto, qui Cæsari Iulio successit, subactas primum scribunt auctores à mari supero ad inferum. Qua de causa trophæum ibi erectum, cuius titulum C. Plinius posuit, & nos alibi explicauimus; meminitque & Ptolemæus gradibus quibusdam locum distinguens. Cognito itaque Cæsaris transitu, gentes illæ descendendo impedire conatæ fuissent, ne contra Heluetios socios & amicos, hostes vero Cæsaris, legiones illæ tenderent. Si vero quæ Ciceronis Epistolarum exemplaria libro x. ad Famil. *Forum Voconij*, & non *Forum Vocontium* præferant, hoc potius modo

legendum censeo: ex alijsque locis emẽdandum, etsi Manut. ad epist. penult. lib. x. *Voconium* & *Voconij* præferat. Antoninus enim Aug. in Itinerario, iter Roma Arelatum versus in Narbonensi Gallia, XII. mill. pass. Foro Iul. j ad Voconij numerat; Plancus vero apud Ciceronem alterum tantum Foro Iulij ad Vocontium forum. *Vocontium* itaque potius emendandum, vt sua etiam epistola Lepidus appellat: & in Vocontijs hi populi, vnde Forum Vocontium oppidũ. Hic Durias fl. labitur, nunc *Doira minor* appellatus, quo de flumine alibi dicendi locus erit.

I T A L I A
ET ROMA.

ITALIA sequitur, illustris maximè prouincia non in Europæis modo sed & Asianas inter atque Africanas celeberrima: quibus & *Romani* aliquando rerũ summã potiti longè lateque imperarunt. Nomina eius varia, nõ ex Pseudo-Beroso, adiunctisque ab Annio Viterbiensi confictis scriptoribus collĩgã in præsens, sed breuitatis veritatisque studio, è paucis optimis, probæque notæ auctori-

bus.

bus:ind catis potius digitoque ostensis quam descriptis locis. ITALIAM enim Parte prima Itinerarij, parte etiam alterâ delineauimus, atque vtinã pro merito satlaudau ssemu: voluimus qu de certè. Berosi enim opuscula illa doctis etiam fucum fecisse, fefellisseque Augustinum Eugubinum, Leandrum Albertum, Io.ãnem Driedonem Theologos, & Anton. Nebrissensem historicum, alios que merito sane dolemus. Duplex ei nomen datum principio moneo, vt *Saturnia* primum, ab aduentu Saturni ad Ianum, vecti cymba rudi, profugi è Creta, & agriculturam primo mortales, relictis glandibus, docentis. Hinc ITALIA dicta, nomenque perpetuo retinuit. De *Saturnia* M. Terentius Varro togatorum doctissimus, Festus Pompeius, & Plinius; Dionysius quoque lib. 1. Antiquit. Rom. Maro denique:

Salue magna parens frugum, Saturnia tellus.

Macrobius adhæc lib 1. Saturnal orum: multa qualia in Commentario qui Aurelio Victori inscribitur, *Orgo gentis Romanæ*, plura legas, animumque cum Halicarnass lib. 1. expleas licet: qualia & in Fastis Ouidius commemorat, rursumque Virg lius:

Hanc Ianus pater; hanc Saturnus condidit Vrbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Hinc à Iano Ianuarius mensis dictus; vt December Saturno sacratus: quo & *Saturnalia* festa, seruis libera sunt instituta: de quibus copiose Macrobius idem, libro etiam id nomen tribuens, & in *Cronosolone* Lucianus sophista, versusque L. Attij apud illum. Et Maro noster:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo.

plur busque qui insequuntur, versibus decem:

& nomen posuit Saturnia tellus.

ITALIÆ successit appellatio, qua de Agellius libr XI. Noctium Atticarum cap. 1. Dionysius Halicar. de *Aboriginibus* differens, è M. Porcij Catonis Originibus, quæ interciderunt, etsi confinxerit quædam, vt diximus, Annius Viterbiensis, sed *credat Iudæus apella*. Oenotrij etiam *Oenotria* dederunt cognomen, teste Strabone lib. V. & VI. Geographiæ. Dionys. lib. 1. & Plinio libr. 3. cap. 7. Aristoteles quoque libro VII. Politi

Politicorum commeminit hisque versibus Maro:

Oenotrij coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentē.

Et: *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.*

vt à Græcis H[illegible]peria, vt & Hispania ab Horatio, sed *vltima* sit dicta, sic enim ait: *Qui nunc Hesperia sospes ab vltima.* AVSONIA quoque Italia appella a: & *Vitulia*, sed plura non colligam. De situ, Tabulæ Geographicæ inspiciendæ: nam hodie sumptu minimo nulloque periculo; vt illa apud Propertium canit,

Cogimur è tabula pictos ediscere mundos.

Ptolemæi quoque adhibendæ, & Strabo V. libro Geograph. Ita denique Plinius libr. 3. Natur, Histor. cap. 5. *Volscorum postea littus & Campania, Picentinum inde ac Lucanum, Brutiumque, quod longissime in Meridiem, ab Alpium pene lunatis iugis in maria excurrit.* Forma vero est *Italia*, vt fol o querno non sit absimilis, aut potius tibiæ humanæ similis: longior enim quam latior, &

 pes

pes crur's *Siciliæ*, prius continua, poſt, vt fabulantur, auulſa. Sic Solinus cap. VIII. Polyh ſtor's. Pelta Amazoniæ comparat Martianus Fel x Capell.: vt Hiſpaniam corio bubulo, ſeu tergo bouis confert Strabo l bro XIII. Geogr. cui totam adeo Europam conſimilem fingit Dionyſius Afer, de orbis ſitu. Sed his ſimilia expl cat And. Schottus libro 3. Obſeruat. humanarum cap. 27. De recentioribus autem *Italiam* laudant Volaterranus, Blondus, & Leander Albertus ſingulari volumine, quique à nobis Parte Itinerarij prima allati ſunt ac recenſiti. Si Poetarum deliciæ delectant, Virgilius Maro facile omnium princeps lib. 2. Georgicon ſeu Rer. ruſtic. à ver. 136. verſibus XL. egregie laudat:

Sed nec Medorum ſilua, ditiſſima terra,
Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

ROMA hic eſt imperij Religioniſque caput, vtque poeta canit Celtiberus. *Terrarum dea gentiumque claret:* quam vrbem laudat, ad eamque gentem B. Paulus Doctor gentium ſcribit. Sedem hic

hic Pontificis Maximi sacrorum esse voluit DEVS, qui CHRISTI in terris vicarius, Petrique successor agnoscitur. Cui gregem piorum fidelium pascendum commisit, & claues regni cœlorum aperiendi atque claudendi credidit: quem ἀκέφαλοι hodie vehementer oppugnant hæretici: nimirum triplici Bello. Primo, vt sine capite mutuaque cōcordia citius oues confiriant, vorentque vt lupi, qui olim, referente Demosthene apud Plutarchum, cum ouibus stipulati pacem compromittunt, si canes latrantes pastoresque dimitterent. Vulpes quoque Æsopica, cauda amissa, eodem adducere & reliquas satagebat. Vulpes denique Samsonis, in caudis conuenientes suas quæque vias ingressæ inflammare Dei segetem nituntur. Caput, itaque auferre Catholicis seditiosi illi prædicantes student; Cibum quoque, vt fame enecent, extorquere frustra laborant, negantes verum Christi in Eucharistia Missæque sacrificio corpus ac sanguinem: Anarchiam denique rerumque publicarum confusionem, quantum in ipsis est, inducere volunt, pro Hierarchia Ecclesiastica: velamen prætendētes Libertatem, vt principes nomine tenus dimittāt, quibus leges præscribant, tol-

lant cum l bitum fuerit, terrarū Orbem armis ſeditionibusque concutiant, indu- cantq; atheiſmum imp'ū, ac Turciſmo ſe atque Europæos inuoluāt. Dicā merito cum B. Polycarpo S. Ioannis diſcipulo apud Euſebium lib. v. Eccleſ. hiſt. ca. 19. *Bone Deus, in quæ nos tempora reſeruaſti, ut hæc patiamur?* Sed tua illa, quid dubi- tem? vox eſt Veritatis: Portæ inferorū non præualebunt aduerſus Eccleſiam. ſupra petram ſtabilitam D'xiſti:

His ego nec metas rerum, nec tempora: pono::

IMPERIVM *ſine fine dedi.*

Viget, vigebitque Romana Religio, fi- deſque maiorum ac pietas: (rumpan- tur vt ilia Caluo:) Natæ nimirum æter- na in vrbe tot tantæque Religioſorum Hominum familiæ. Pontificia nimirum auctor tate comprobatæ, ſimul & pro- p'gatæ Benedictina familia in occidēte antiquiſſima, in Italia ortum, progreſ- ſumque Romæ habuit. Beati Franciſci quoque Minorum ordo, & Prædicato- rum S. Dominici, hic excitatus Eccle- ſiam nimium quantum aduerſus hære- ſes iuuit. Minimorum adhæc S. Fran- ciſci de Paula ſodales Italiam, H'beriam, Galliamque peruadunt. Hieronymiani

ij

in Hiſpania clarus ordo originem ex Italia repetit, clareſcitque. Quid? Duce B. Ignatio Loiola Societas IESV Romę primum orta probataque, fuſa eſt quã patet Europæ finibus, pro Eccleſia Catholica Romana, ſanguine etiam fuſo, propugnat, & in extremos vſque Indorum oras, Sinaſque toto diuiſos orbe Fidei Chriſtianæ propagandæ, non auri & argenti gratia penetrauit.

Subiecta zonæ quæ plaga torridæ
Feruebat æſtu, nunc Aquilonibus
Pulſata naturam remittit,
Et patulo bibit ore nimbos.

Claudam veriſſimis Procopij Cæſarienſis verbis: CHRISTIANAE *Fidei diſciplinam ſi vſquam alibi,* ROMANI *præcipuè ſunt venerati.*

GALLIAE DIVISIO
Ex Aldo Manutio
De quæsitis per Epistolam.

- Gallia
  - Citerior, & Cisalpina, quæ & Togata
    - Cispadana
    - Trãspadana
  - Vlterior, & Trãsalpina
    - Comata
      - Belgica
      - Celtica
      - Aquitanica.
    - Brachata, quæ & Narbonensis.

SÆPE legendo incurrimus in hæc tria Galliæ cognomina, *Togata*, *Comata*, *Brachata*; nec tamen omnes, quæ sit earum differentia, nouere. quod ostendere, breui definitione proposita, veterum testimonio conabimur. Definitur *Gallia*, vel regione, vel ab hominum cultu; à regione sic, Gallia vel *Trãsalpina* est, quę *vlterior* etiã dicitur; vel *Cisalpina* quæ *citerior*. vtraque diuiditur in duas, Transalpina in *Narbonensem & Comatã*; Cisalpina *in Transpadanã & Cispadanã*. Rursus à cultu definitur hocmodo. Gallia vel *Comata* est, vel *Brachata*, vel *Togata*.

Coma-

Comata est omnis Transalpina præter Narbonēsem. Brachata, quæ postea Narbonensis dicta; Togata, cisalpina omnis. De Comata probat Plinius libro 4. cap. 17 *Gallia* inquit, *omnis comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maxime distincta*, à Scalde ad Sequanam *Belgica*; ab eo ad Garumnam *Celtica*, eademque Lugdunensis; inde ad Pyrenæi montis excursum, *Aquitania*, Aremorica ante dicta. Apparet Narbonensem omitti, de qua separatim lib. III. cap. IIII. iam locutus erat. Opinor autem, antiquitus Galliam omnem transalpinam Comatam fuisse; postea vero Narbonensem, in qua fuere Allobroges, prouinciam à Romanis factam, Romanorum hominum consuetudine alere comas desiisse. *Intonsas enim gentes* vocat Plinius Alpinas quoque gētes, quarum nonnullas Narbonensis opinor Galliæ partem fuisse; lib. XI. cap. XXVII. *Nomina* inquit *ex eo capillatis Alpium incolis, Gallia Comata*. Et quanquam reliqua quoque Gallia à C. Cæsare in prouinciæ formam est redacta; quia tamen Narbonensis prius prouincia facta fuerat; ideo *Prouincia* nomine, quod hodie quoq; retinet, sēper appellata, reliqua vero Gallia vetus *Comata* cognomē tenuit

Propterea nec Agrippa, cum Galliam longe lateque metiretur, Narbonensis rationem habuit, quasi prouinciæ separatæ. Scripsit enim hæc Plinius eodem loco: *Agrippa vniuersarum Galliarũ inter Rhenum, & Pyrenæum, atque Oceanum, ac montes Gebennam, & Iuram, quibus Narbonensem Galliam excludit, longitudinem* CCCCXX. pass. latitudinem CCCXIII. *computauit*, & Catullus *Comatam* appellauit Galliam à Cæsare perdomitam.

Quis hoc potest videre, quis potest pati? *(Gallia*
Mamurram habere, quod comata
Habebat omnis, vltima & Britānia?

Quis porro dubitet, quin transalpina Gallia, non Cisalpina significetur in ijs Antonij verbis, quæ recitat Cicero Philippica IIX? *Galliam togatam remitto: comatam postulo.* Fuit enim hoc Antonij consilium, vt cisalpinam Galliam D. Bruto, iam eam obtinenti, relinqueret, transalpinam autem, à L. Planco tunc administratam, quæ longe erat firmior, sibi assumeret, quo posset deinde, superatis alpibus, in Bruti prouinciam, quæ Togata Gallia à Romano vestitu vocabatur, impetũ facere; Brutoq; eiecto, vrbẽ ipsã i exemplo,

exẽplo Cæsaris, occupare. quod Ciceronem non fugit, subiecit enim in eo loco: *Otiosus, videlicet esse maulit*. Et Philippica v. *Est*, inquit, *opinio, decreturũ aliquem Antonio illam vltimam Galliam, quam Plancus obtinet*. Comata igitur omnis transalpina, præter Narbonẽsem; togata vero cisalphina, quam ab Italia amnes duo, Rubico à supero mari, Arnus ab infero, dirimebant. Quod autem ait Plinius, *ab Ancone Gallica orta incipit*, Togatæ Galliæ cognomine; in eo terminos iurisdictionis non spectauit. nam ita Anconem Italiæ adiudicasset: sed Gallorum veterum incolarum rationem habuit. quis autem Anconem cis Rubiconem esse nesciit? Mela quoq; Togatam nominat Galliam; & ait: *Carni, & Veneti colunt togatam Galliam*. Placet autẽ DIONIS verba recitare ex libro xlvi. quæ Galliarũ distinctionẽ ostendant adiuncta nominis caussa & Togatæ, & Comatæ: Λεπίδῳ τὴν ἰβηρίαν πᾶσαν, καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν Ναρβονησίαν, Αντωνίῳ δὲ τὴν λοιπὴν Γαλατίαν, τήν τε ἐντὸς τῶν ἄλπεων, καὶ τὴν ὑπὲρ αὐτὰς ὥσαν ἄρχειν δοθῆναι. Ἐκαλεῖτο δὲ ἐκείνη μὲν Τόγατα, ὅτι τε εἰρηνικωτέρα.

τέρα τὰς ἄλλας ἐδόκει εἶναι, καὶ ὅτι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐχρῶντο ἤδη αὐτὴ καὶ δὴ Κόματα, ὅτι οἱ Γαλάται οἱ ταύτης ἐς κόμην τὸ πλεῖστον τὰς τρίχας ἀνιέντες, ἐπίσημοι κατὰ τοῦτο παρὰ τοῖς ἄλλοις ἦσαν.

Brachata est it. hæc transalpinæ pars fuit, quæ postea *Narbonensis* nominata. Plinius li. 3. ca. 4. *Narbonensis prouincia appellatur pars Galliarũ quæ interno mari alluitur, brachata ante dicta, amne Varo ab Italia discreta alpiumque saluberrimis Romano imperio iugis; à reliqua vero Gallia latere septẽtrionali, mõtibus Gebẽna, & Iura.* Et Mela li. II. ca. 5 *Pars Galliæ nostro mari apposita, fuit aliquando brachata, nunc Narbonensis.* Cicero etiam in oratione in Pisonẽ, *Brachata* illũ cognationis dedecus appellat, quod auus eius maternus, trãs alpes natus erat. Et in oratione pro Fonteio *Sagatos*, *Brachatosque* vocat Gallos, qui Fonteium accusabant, cum Narbonensi Galliæ, quod ipsa declarat oratio, Fonteius præfuisset. Quo patet, licet ea Galliæ pars nomen mutauerit, Narbonensis dicta, quæ Brachata fuerat, ipsas tamen Brachas non esse depositas. Bracha jau, quasi tunica fuit omnis Gallíæ trãsalpinæ, cui sagum imponebatur; comata tamẽ potius, quam à brachis di-

&c., quæ capillatior fuit. Quod si quis roget, cur *Brachas* tunicam fuisse Gallicam putem, recitabo illud Suetonij. quod in C. Cæsaris vita scriptũ est. *Itidẽ in curia Galli brachas deposuerunt, latum clauum sumpserunt.* Latus enim clauus tunica Senatorum Romæ fuit, quem Galli brachis depositis, sumpserunt.

ITINERARIVM E GALLIA NARBONENSI ROMAM.

Ex Ioan. Isac. Pontano.

VRBES.	
1 TVRON.	5 NARB. MART.
2 PICTAVIVM	6 MONSPESSV-
3 BVRDIGALA	7 NEMAVSVS.
4 TOLOSA	8 ARELATE
	9 MASSILIA.

TVRONVM VRBS, hodie Tours in *Gallia Britannica seu Britonũ*.

TVronum vrbẽ ducatus Britãniæ Gallicæ olim metropolim fuisse cõstat. Hodie *le Iardin de France*, ob situs & loci opportunitatem ab indigenis appellatur. Gall æ autẽ illã partẽ *Britanniã* indigetãt, quia nomẽ, iura, moresq; imo & incolas à Britãnis insulanis, quos Anglos dicimus, sortita. Vnde in vrbib. Iulius Cæs. Scaliger canit: *Vicit*

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca iugo.

Est & illud operæ adnotare, Gallis & præsertim maritimis hisce & Aremoricis non minimas hodie ex canabe & lino velorumque confectione opes accedere, idque & Plinium etiam æuo suo literis prodidisse, qui dixit: *Gallos eo reditu censeri, imo & Gallias vniuersas vela texere*: & tamen Cæsarem de ijsdem scribere: *pelles ijs pro velis alutaque tenuiter confecta, siue propter lini inopiam, atque eius vsus inscitiam; siue quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani, tantosque impetus ventorum sustineri, ac tanta onera nauium regi velis non satis commode arbitrabantur.*

lib. 19. ca. 1.

Lib. 3. De bell. Gall.

PICTAVIVM.
Poictiers.

CVius tractus amplissima ciuitas Pictauium, *Poictiers*; olim *Augustoritum* a Ptolemæo appellata. Nonnulli *Limonum urbem* dictam volunt ex Itinerario Antonini, & Hirtij Commentario. Ambit ipsum oppidum maxima ex-

Comment. de bel. Gal. lib. 8.

ex parte *Clanius* flumen; Academia ibidem, Iuris potissimum studio, necnon & medicorum collegio hac tempestate percelebris est. Loci antiquitatem testãtur Theatri rudera, & Aquæductuum fornices, qui hodieque *Les Du&s* appellãntur. Est & Amphitheatrum in iisdem Pictonibus, diei itinere à Ligeri fluuio, manu quidem & arte humana fabrefactum, sed ita vt videri possit à Naturâ. Totum enim ex monte excisum excauatumque est, absque vlla ligni, lapidis, calcisue materiatione. Pagus proxime adiacet *Douaus*, hodie *doune*, visiturque & pons priscus. indigenis *pont du sey*. nonnullis *Cæsaris* appellatus. Natus autem Pictauij, Diuus Hilârius, & Hieronymo *eloquentia Latina Rhodanus* celebratus. Obiit in vrbe natali Episcopus, Valentiniano & Valente Imperatoribus.

BVR-

BURDIGALA.
Bourdeaux.

AD exitum vero Garumnæ conspectui se offert Turris, *la TourCordan* dicta. Et ex Dorico opere in amnis medullio & ore quodammodo Oceani, vadoso, ut diximus, inædificata atque excitata de tubere, nocturno nauium cursui ignes eminus ostendit ad prænunciandα vada fluminisque introitum. Veteres huiusmodi turres siue speculas *Pharos* dixere.

AGINNUM, vulgo *Angolesme.*

AGENNUM inde ventum est, eoque perlustrato, secundo amne Burdegalam descendimus. Hic, præter ea quæ in versibus Ausonius meminit, haud silentio prætereundum, esse ibidem insignem studiosorũ frequentia Academiam, dictamque eam per excellentiam *Gymnasium Aquitanicum*, quod in nulla alia Aquitania omne Artium liberalium genus publice trada-

tradatur. Porro quod *Viuisci* nominis Capitolinas ædes eodem loci ostendi referunt, accipiendum de ipsa *Burdegala*, quæ caput Biturigum Viuiscorum. Vnde Ausonius Burdegalensis de semetipso:

Hæc ego Viuisca ducens ab origene gentem.

Et visitur hodieque in area ibidem Capitolina eiusmodi, nec aliis prætereita Inscriptio.

AVGVSTO SACRVM
ET GENIO CIVITATIS
BIT. VIV.

Plura de hac Aquitaniæ schola vrbeque Elias Vinetus, eius quondam perutilis Gymnasiarcha, cum Comm. in Ausonium à se illustratum, tum Gallice disseruit, E cuius ludo, vt ex Isocratis olim, multi doctissimi viri prodierunt.

THOLOSA Tectosagum,
Tolouse.

THOLOSA prouinciæ Narbonensis metropolis est, vtbiúque Gallicarũ post Lutetiã pæne dicã præcipua. Sed lõgè quam

quam illa nitid or amœniorque, *Archiepiscopatu* hodie insignis est. *Parlamento* quoque, quod celeberrimum est. Academia quoque Athenæoque perquam magnifico frequenti iam olim inclaruit. Et quã um ex veterum memoriis colligere licet, etiam priscis sæculis Musis dicata sacraque fuit *Tholosa*. Nam *Palladia* Martiali, ni fallor, nuncupata; & in vrbibus claris Ausonius *altricem suam* professus est. Illius in vniuersum & situs potissimum, ob Garumnam, commoditatem, vel inde etiam conijcias, quod eam Theodoricus Gothorum Rex eiusq; filius Totismundus sedem elegerant, tãquam tractus istius opulentissimam, vniceque accommodam amplificando conseruandoque Imperio. Vnde & ipsos tũc Romanos in omnem euentum hinc opẽ solatiumque præcipuum sperare, ex Sidonio intelligere est, qui sic ait:

Si quos Parrhasis vrsa fert tumultus
Theodorice tuæ manus rogantur,
Vt Martem validus per inquilinum
Defenset tenuem Garumna Tibrim.

Plinius olim *Volcarum Tectosagum* appellatum innuere videtur. *Aurum* quoque, quod Prouerbio nomen fecit, *Tho-*

Tholosanum originem hinc & occasionem accepisse ex Trogi abbreuiatore Iustino, rem eam prodente colligas, legesque in Adagiorum Chiliaste Batauo.

NARBO MARTIVS.
Narbonne.

NARBO ob id *Martius* nuncupatus, quod in eum Cæsar Dictator colonos ex Martia legione milites deduxisset. Cicero *Speculam & propugnaculũ Italiæ* appellauit. Plinius ait *Coloniã* fuisse *Decumanorum*: & Mela insuper, *Atacinorum*. *Sita* est enim ad ostia *Atacis* fluminis XII. imp. à mari distans, hodieque & munitissima & pulcherrima ciuitas; tum & Archiepiscopali sede aliisque ornamentis clara. Olim quoque *pulcherrimæ* epitheto affecerat Martialis, qui & *Paternam* dixit, modo codicis manu exarati lectionem sequamur à Petro Scriuerio Batauo indicatam:

Docti Narbo Paterna Votieni

vulgo enim editur:

Docti Patria Narbo Votieni.

Quam lectionem firmat ista inscriptio vetus:

COL.

COL. IVL.
PATERNA
NARBO.

Inferioris æui scriptores, inter quos Ammianus Marcellinus, *Clusæ* hic meminisse reperio. Ait Ammianus: *In Narbonensi Clusa est, Narbona & Tolosa, quæ principatum vrbium tenent.*

MONS PESSVLANVS, *Mompelliers.*

MOntem pessulanum situ, amœnitate, studiisque & potissimum Medicinæ celebrem, satis vtique existimo notum.

Libanotidis seu rosmarini tanta copia ibidem enascitur, quanta apud nos iuniperorum frutices. Quocirca & Straboni scriptum: Τ'ἐ δὲ αὐτοὺς ἐκφέρει καρποὺς ἡ Ναρβονῖτις ἅπασα, ὥπερ ἡ Ἰταλία. *Profert Narbonensis Gallia omnia fruticum genera quæ Italia.* Et Plinio lib. 21. cap. *Thymo etiam lapidei campi in prouincia Narbonensi referti sunt, hoc penè solo reditu, è longinquis regionibus pecudum millibus con-*

conuenientibus , vt thymo vescantur.

Plinius quam *Agatham Massiliensem* dixit, de Monspelio plerique interpretantur. Iacobo Cuiacio *Monspelium*, quomodo nunc efferimus, ex Gallico idiomate deducere placuit, quasi *montem* significet *puellarum*; verba eius sunt in libris Obseruationum.

NEMAVSVS. *Nimes.*

NEMAVSI magnifice admodum meminit Strabo: *Caput*, inquit, *Arecomicorum est Nemausus. Longe inferior Narbone si peregrinam & negotiantium turbam spectes. sin rempublicam, multo præstantior. Nam viginti quatuor habet pagos popularium præstantes viris, quibus & Latij ius, ita vt Nemausi inuenias Romanos qui Aedilitatis & quæsturæ honorem sint consecuti, eamque ob causam gens ea cum præfectis Roma missis nihil habet negotij.* Item, de vrbibus Stephanus: Νέμαυσος πόλις Γαλλίας ἀπὸ νεμαύσου ἡρακλέιδου, ὡς παρθένιος. τὸ ἐθνικὸν νεμαύσιος, νεμαυσίνος, διὰ τὴν χώραν. Piorunæ Regia hodie

hodieque adhuc integra propemodum spectatur. Nam eam esse, quam vulgo *Capitolij* nomine insigniunt, persuasum habemus. *Basilicam* appellauit in Hadriano Spartianus. *Per idem*, inquit, *tempus in honorem Plotini Basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit.* At vetus Inscriptio, quæ Aquis Sextijs, non *Basilicam* sed *Ædem Sacram* dicit. Et si non ficta est Inscriptio, sic incipit. PLOTINA TRAIANI VXOR; Estque in Opere Inscriptionum I. Gruteri, docti viri; verum ego omnino genuinum aut priscum esse præstare non ausim.

Facit ad Nemausi insuper decus & dignitatem locus ille Suetonij capite decimo tertio in Tiberio; *Contemtior indies Tiberius & inuisior; adeo vt imagines eius & statuas Nemausenses subuerterint.* Amphitheatrum, ibidem est, quod Antonini esse plerique assentiũtur: vtpote cui, teste Capitolino, paternum genus è Gallia transalpina, *Nemausense* scilicet.

ARELA

GALLIÆ ARELATE, vulgo *Arles.*

ARelatem *Gallicam Romam* appellauit Ausonius, de quo ita in Lectionibus Ausonianis Scaliger: *Arelatem non immerito Gallicam Romam vocat, quod esset & celeberrimum & oppertunissimum emporium, Quibus commoditatibus inuitatus Fl. Constantinus tyrannus, qui tempore Honorij Iunioris imperator in Britannijs declaratus fuit, Arelate fixit sedem imperij sui, sanxitque Constantinam vrbem vocari. Praterea vt in ea septem prouinciarum conuentus agerentur, hoc est, Viennensis, vtriusque Narbonensis vtriusque Aquitania, Nouempopulania, & Alpium maritimarum. Vnde imperium illud Septimania vocabatur. Quare & κατ' ἐξοχὴν Narbonensium prouinciam in veterum Martyrum historia Septimaniam vocatam sæpe memini & à Sidonio Apollinari Epist. 1. lib. III* Hæc Iosephus.

A Plinio *sextanorum Colonia* dicta, quoniam ex Sexta legione coloni eo deducti sunt: quo pertinet lapis Romæ erutus. DIVAE FAVSTINAE. AVG. SEXTANI ARELATENSES

SES. *Iuliam* quoque *paternam Coloniam* nuncupatam ex ista inscriptione, COL. IVL P. AREL. suspicatur idem Scriuerius, quia & *Narbo* in alia inscriptione *Colonia Iulia Paterna* nuncupatur. De quo vberius ibi.

Sed admonendum hic: Auienum Festum in libello *De orâ maritimâ* Arelatis quoque meminisse, & ita meminisse vt non MAMILIARIA, sed MAMILLARIA verum nomen, existimem: atque ita nos eius solius ope ad veri nominis cubilia peruenturos. Ait dictum *Arelatem* incolis olim Græcis *Thelinen*, quod quid aliud quam *Mamillaria*: Θηλὴ est *mamilla*, siue papilla. Hinc Theline erit *mamillaria*. Versus Auieni hi sunt.

Arelatus illic ciuitas attollitur Theline *vocata sub priore seculo Graio incolente,*

Mamillaria ergo siue *Theline* cum extra controuersiam, docente Auieno, sit appellata *Arelas*, fieri potuit vt in Inscriptionis illa vocula MAMILLARIA aliquid aut erasum aut saucium aut liquidum minus exstiterit, imo & I. pro

pro L. quod in istis maiuscul's chara-cteribus admodum pronum sit, legentibus apparuerit, atque ita pro *mamillar a. mamiliaris* prodierit; pro quo, si per sigillaria, vt inquit ille, in auctione væniret, neque Afranius nauci daret, neque ciecum suum Plautus offerret.

Hisce veluti emblema addendum est, Phauorinum, cuius sæpenumero mentionem facit A. Gellius, *Arelate* natum. De quo sic Flauius Philostratus in libris Sophistarum: τὸμ φαβορῖνομ τὸμ φιλόσοφομ ἡ εὐγλοττία ἐν τοῖς σοφισαῖς ἐκήρυττεμ, ἐκ μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν ὄντος Ἀρελάτη πόλεος ἡ ἐπὶ Ροδανῷ ᾠκισαι.

MASSILIA, Hodie *Marseille.*

DIstat ab Aquis Sextijs tertio, quantum memini, lapide Massilia. De qua hæc addidisse sit operæ pretium. Nam vt ab origine exordiar, à Medis imperante Astyage conditam opinantur, restauratam postea à Phocæensibus Asiaticis, qui Cyri tyrannidem fugientes, relicta Græcia in hunc sinum nauigarunt, vnde & Lucanus *Phocaida* l.b.III. ver.340. eā appellauit. Varro *Massilienses* trilingues esse dixit, quod & Græce loquerentur, & Latine, & Gallice. Vnde à Strabone æuo illo fer ptum: *Hæc Massiliensium instituto Romanorum hodie nobilissimum quemque pellexit, adeo vt pro peregrinatione, quam studiorum causa Athenas pridem suscipiebant disciplinarum cupidi, nunc illuc se conferant Quorum æmulatio Gallos quoque excitauit, vt pace per terras suas composita, ipsi otium à rebus bellicis ampl ctentes, ad discendi institutum animum appellerent, non viritim modo, sed vniuersim per vrbes Quippe discendi magistros, quos Sophistas appellant,* priuato

priuato publicoque impendio oppidatim sisciplunt salarium illis statuentes perinde ac medicis Q. b is. dicendum quod ait Tacitus: *Iulium Agricolam per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque Massiliæ transegisse, se ie & magistrâ studiorum, loco Græcâ comitate & prouinciali parsimonia mistro ac bene composito. ib. studia Philosophiæ vltra quam concessum Romano senatori, hausisse.* Cicero quoque ciuitatis huius disciplinam grauitatemque non Græciæ solum, sed cunctis gentibus anteponendam putauit. Nec belli gloriâ minorem fuisse vel hinc constat, quod huius maxime opera de Transalpinis gentibus Romani triumpharint. Documenta vero disciplinæ seueritatisque sunto, quod aditus in scenam mimis, (quorum argumenta maiore ex parte flagitiosos continent actus) concessus non fuerit; omnibusque, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærerent, portas clausas habuerint. Dos quoque eis maxima aurei centum, nec vltra quinque in vestitum, totidemque in mundum aureū (κόσμον χρυσοῦν dicit Strabo) inlumebat.

Porro piscatura omnibusque marinis

 de

delitijs maxime semper nobilem floruisse Massiliam constet vel ex ipso M lonis d cto. Exulanti enim ei Massiliæ, cum orationem M. Tullij, non quam habuisset pro eo, sed quam scripsisset, quispiam attulisset, tunc ille, *si sic egisses*, inquit, *Marce Tulli, non esitaret Massiliæ barbatos pisces* Milo.

FINIS.

VRBIVM NOMINA
Huius Itinerarij.

HISPANIAE.
COMPLVTVM, hodie *Alcala de Henares.*
Carthago noua, nunc *Carthagena.*
Cincillia.
Murgi, vulgo *Murcia.*
Secura fl
Ebusus Insula, *Ibiza.*
Barcinon, *Barcelona.*
Rhodope.
Peralada.
Iuncaria.
Bolon.
Perpinianum.
Ruscino fl.
Salsulæ.

GALLIAE.

NARBO Martius, hodie *Narbona.*
Atax fl.
Biterfæ;
Orobius fl.
Mons Peſſulanus, *Mompelliers.*
Lunellum
Arelate, *Arles.*
Rhodanus fl. *le Rhone.*
Salo.
Melamborius campus.
Aquæ Sextiæ, *Aix.*
S. Maximini opidum.
Forum Iulij.
Antipolis
Nicæa:
Varus fl.
Alpes.

ITA-

ITALIAE.

TVRBIA,
Trophæa Augusti.
Monœcus.
Villa Franca.
Mentonium.
Albintimelium.
Ruthuba fl.
S. Romulus.
Albingaunum.
Merula fl.
Finarium.
Naulum.
Sauona.
GENVA, eiusque arx, portus, & nauale.
Liguria.
AEneæ Tabulæ exemplum Genuæ.
Sarzana.

Luna.
LVCA.
Fuſcecium.
FLORENTIA.
SENA.
Aquila.
Vulſinium.
Mons Faliſcorum.
VITERBIVM.
Ciminius mons.
ROMA.

IACOBI

IACOBI LOPIDIS STVNICAE

ITINERARIVM AB OPPIDO COMPLVTENSI

TOLETANAE RROVINCIAE Vlterioris Hispaniæ,

VSQVE AD VRBEM ROMAM.

AD IOANNEM STVNICAM Fratrem Diui Iacobi Auratum Equitem.

CVM ex Hispania in Italiam proficisceremur, ea præcipue causa, vt Romanam curiam viseremus, illud in primis animo insedit, ne iter perfunctorie ageremus (quod plerique mortalium facere solent,) ad metam tantum properantes, sed vt rationes ipsas vrbiumque situs

summa diligentia contemplantes, si quid ad pietatem antiquitatemve pertinens nostris sese oculis obiter obtulisset, in literas mitteremus. Quæcunque igitur annotatu digna eo itinere nobis visa sunt, breui libello colligere decreuimus, eaque ad te, frater amantissime mittere, quod rerum eiusmodi non incuriosus esse soleas: cuius rei argumento sunt varia Epigrammata & Antiquitatis indagines, quæ ad nos, si quando peregre proficiscebaris, domum rediens deferre consueuisti. Leges itaque *Itinerarium* hoc nostrum eo vultu, quo reliqua ab ingenio nostro profecta legere soles; reditusque in patriam nostri similes commentarios expectato, qui longiores fortasse erunt, & accuratiore stylo digesti. Hæc enim in transcursu, & quasi aliud agentes celeriter conscripsimus, historicæ potius veritati quam eloquentiæ seruientes. Quanquam ipsa terrarum locorumq; descriptio facundiæ minime capax, orationem nostram si minus ornata quam expectabas in medium prodierit, facile excusabit. Verum autem aliquid operæ pretij hoc scriptionis genere fecerimus, ex narratione ipsa quam statim auspicabimur, poteris iudicare; quæ fieri nequa

quam

quam poteſt ne plurimum voluptatis & tibi afferat, & reliquis, qui variatum ignotarumque rerum cognitione delectantur.

Igitur *Compluto* Toletanæ Eccleſiæ oppido percelebri diſcedentes, *Carthaginem nouam* deuenimus tertiò nonas Septemb anni Do. M. D. xx. Erat Carthagini Illuſtriſſimus princeps Ludouicus à Corduba, Sueſſanus dux, cum præclariſſima fæminarum Geloya vxore, Conſali Ferrantis, magni Hiſpanorum Ducis filia & herede, in Parthenophæum regnum ad dotales ciuitates viſendas claſſe ad id parata proxime traiecturus. Qua ex re portũ Carthaginenſem mari iter acturi præ cæteris Hiſpaniæ portubus delegimus, quo & tantum comitaremur principem, ſimul etiam vt piratarum incurſiones, quæ Mare noſtrum infeſtum frequenter reddunt, tutiſſima nauigatione deuecti facile poſſemus deuitare. Quam vero honorifice à Ludouico Duce fuerimus excepti, quãta liberalitate ac munificentia nos fuerit proſequutus, tu ipſe optimus teſtis eis; qui eo tempore ab Illiberitana ciuitate, quo ex regia curia fueras profectus, Carthag nem ad eundem Principem viſendum ſalutandumque

Compluti. *Carthago noua.*

dumque venisti, Compluto autem Carthaginem vsque nihil membratu dignum vidimus præter *Cincilliam* vrbem loco editissimo sitam, & *Murgitanam* ciuitatem in pulcherrima & amœnissima planicie ædificatam, quam amnis *Secura* à Meridie præterlabitur, Portum autem Carthaginensem, vrbis, situm, antiquitatis monumenta, quæ plurima adhuc exstant, ipse mecum pariter conspexisti, veraque re ipsa probauimus quæ & Strabo & Liuius de *Carthagine noua* prodidere. Ad orientalem vrbis partem theatrum penitus iam collapsum perspeximus; ad occasum vero vestigia longissimi aquæductus. Rursus ad orientem spacio passuum mille, Romanorum sepulcra vidimus. Turriculæ erant pyramidum instar fabricatæ (quarum vna integra adhuc visitur) albis ac nigris lapidibus opere tessellatio fabricatæ, in quarum summitatibus mortuorum cineres seruabantur. Vidimus præterea marmoreos lapides complures Epigrammatibus insculptos, partim integros partim etiam confractos, sed ille præ ceteris memoria dignus nobis est visus, quem portæ arcis eiusdem vrbis, pro superiori lumine posteritas posuit.

Cincillia
Murgi.
Secura fl.

La;

Lapis est oblongus clarissimis ac nulla vetustate consumptis litteris ad hunc modum inscriptus:

L. ÆMILIVS M. F. M. NEP. QVIR. RECTVS DOMO ROM. QVIET. CARTHAGINENSIS ET SICELLITAN. ET ASSOTAN. ET LACEDAEMON. ET ARGIVVS ET BASTETANVS SCRIB. QVESTORIVS SCRIB. ÆDILICIVS CIVIS ADLECTVS OB HONOREM ÆDILITATIS TESTAMENTO SVO FIERI IVSSIT.

Ex Carthagine autem solventes quinto Calen. Octob. triduo post Ebusitanum portum tenuimus. Est autem *Ebusus* quam vulgus *Iuisam* vocat: altera ex Pytiusis insulis, vnicum eiusdem nominis oppidum habens loco editissimo, & à mari passibus quingentis distanti situm. Inde egressi Balearicum mare perlegentes ad littus Barcinonense pervenimus. Grassabatur eo tempore Barcinonae saeuissima pestis, quae nobis impedimento

Ebusus.

mento fuit, ne totius Hispaniæ vrbem nobilissimam, nobis alioqui satis cognitam denuo viseremus. In Barcinonensi littore quatriduum peregimus, maris tranquillitate detenti: quo tempore vix duo passuum millia progressi sumus. Advenientibus deinde ventis tum secundis tum etiam adversis, per mare discurrentes, *Rhodopen* tandem Emporiensium oppidulum applicuimus. In quem locum tædio longæ & inutilis nauigationis (dies siquidem quattuor & viginti in mari fueramus) Ludouicus Dux cum Geloya coniuge descendere decreuit; equos, supellectilem, impedimenta denique omnia, maximam quoque famulitii partem mari Neapolim præmittere: nauigatione neque dimissa, tametsi vix tertia itineris pars fuerat peracta, quod reliquum tamen erat pedibus peragere. Ego vt ab initio instirueram mari alioqui infensus, terrestri itinere Ducem volui comitari. Rhodopæ quattuor & viginti dies curandis corporibus nantico labore affectis insumpti sunt. Inde quarto Idus Novemb. discedentes per viam quæ ad Pyrenæum ducit, *Peraladam* oppidum pervenimus. Ex Peralada ad vicum qui *Iuncaria* dicitur ventum est. Est autem *Iuncaria* ad radices

Rhodopen.

Peralada

Iuncaria.

dices Pyrenæi sita. Pyrenæum inde transcendentes, per vias arduas ac præcipites, in oppidum deuenimus Bolonem in planicie ex altera Pyrenæi parte positum. Ex Bolone *Perpinianum*, quod oppidum maximum ac pulcherrimum est Ruscinonensis prouinciæ, atque adeo Cataloniæ totius, Barcinone excepta, concessimus. Est autem Perpinianum in dicecesi Elnensi, uberrima quidem regione frumenti, vini & olei feracissima ædificatum, distat à mari leucas tantum duas, estque orientali plagæ totum expositum. In editiore vero oppidi loco occasum versus, arcem habet munitissimam, cum præsidio armatorum hominum centum ac quinquaginta. Alluitur præterea Perpinianum insigni flumine ad orientem, quod vulgus *Later* vocat: puto autem id esse quod à Cosmographis *Ruscino* dicitur, vnde & prouincia nomen accepit. Flumini impositus est lapideus pōs mille passuum longitudinis. Distat à Iuncaria Perpinianum leucas quinque. In Perpinianensi oppido multa memoratu digna conspeximus, sed illud longe memorabilius, quod statim referam. Monasterium est Prædicatorum fratrum amplissimum templum habens, in cuius sacrario, inter alias Sanctorum

Bolo

Perpinianum.

Ruscino fl.

ctorum reliquias manus sinistra cum parte brachii Beati Ioannis Baptistæ maximo honore (ut par est) asservatur, ante annos ducentos casu quodam inopinato habita. Peregrinus quidam fuerat ex orientis partibus ad Iacobi Apostoli limina in Compestella visitanda iter habens; is Perpinianum veniens beatissimi præcursoris prædictam manum cum parte brachii, quam in capsa quadam lignea secum ferebat, cum longius adhuc restaret iter prædictis fratribus asservandam dedit ea quidem lege, vt nemini se uno excepto aliquando redderent: quod si ipsum redire non contingeret, præfato monasterio ab eo tempore muneri obtulit. Visus amplius peregrinus non est, fato in itinere concessisse creditum. Capsa illa in qua tantus thesaurus servabatur, oblonga est, in cuius operculo depicta videtur imago Ioannis Baptistæ, cum alis ad modum Angeli, figuram capitis ipsius præcursoris manu tenentis sinistra; in manu vero dextra formam habentis libri aperti, Græcis inscripti litteris maiusculis: supra caput vero & sub eius pedes aliæ Græcæ litteræ maiusculæ depictæ videntur. Quæ supra caput sunt adhunc habent modū; ὁ ἅγιος ἰωάννης ὁ μάρτυρ, id est,
San-

stus Ioannes *Martyr.* Quæ vero in libro descriptæ apparent, quem manu sinistra prædicta imago gestare videtur, sic habent.

φωνᾶ πρόδρομος ὑπηρέτης τοῦ λόγου,
Μετανοεῖν δείκνυσι φύσιν βρότειαν

Senari sunt versiculi, hæc ad verbum sonantes.

Clamat præcursor minister verbi,
Pœnitere monstrat naturam humanam.

Quæ vero subtus pedes sunt litteræ in hanc sententiam leguntur; τί σε καλέσωμεν, προφήτην, ἄγγελον, ἀπόστολον, ἢ μάρτυρα; Id est *Quid te vocabimus, prophetam, Angelum, Apostolum, an martyrem?* In fronte vero prædictæ capsæ sequentes senarioli literis, & ipsi maiusculis, Græce inscripti visuntur.

Θεὸς κάτεισιν εἰς βροτῶν σωτηρίαν.
Πρόελθε κῆρυξ τοῦ τρανῶσαι τὸν λόγον.
Αἴ παντα τῶν ἂν θαύματος πλήρη πέλει.
Λέγει γαβριὴλ τὴν γέννησιν σοῦ ξένως.

Πα-

Πατρὸς τὴν ἀπάθειαν ἐν μορφῶ θέλει.
Δικην δὲ τὴν κώφωσιν εἰσφέρει τάχος
Υ'περθεν ὤφθης ἀρετῶν τρισολβίων
Κρείττων προφητῶν, ἴσος τῶν ἀποστόλων.
Μαρτύρων ὤφθης κόσμος πλήρης μάκαρ. σει,
Α'γευςος τροφῆς παντοίων τ' ἐν φύ.
Γονυπετῶν πρόςιθει πάντων ὡς ἔθος
Διδοὶς ἀῤῥαγὴν τοῖς προσκειμένοις πόθου
Τῇ μία συνθήκῃ τῇ τῶν λειψάνων.
Πραγμάτων ἑλίξεις τε καὶ στροφὰς βίου,
Ρῶσιν σώματος θυμιδία πλέκων,
Εὐλογῶν αὐτοῖς κυβερνῶν ὡς Cοιθέμις.
Φέρεις πτέρυγας ὡς ἰσοθεὶς ἀγγέλων.
Ε'νυλος ὢν ἄυλος ὡς σωτὴρ ἔφη.
Qui dverbum :r du&iLatine fi.fonant:
Deus aduenit in hominum falutem,
Praeuem praeco declarare verbum,

Omnia

Omnia quæ in te, admiratione plena sunt.
Dixit Gabriel natiuitatem tuam extranee.
Patris incredulitatem punire vult.
Pœnam autem, loquelæ priuationem infert cito.
Supra apparuisti virtutes ter beatas,
Melior Prophetis, æqualis Apostolis.
Martyrum apparuisti ornamentum plenum beate,
Non gustans cibum qualiumcunque quæ in natura sunt.
Genuflectens adiuua omnes vt mos est,
Prabens auxilium adiacentibus voto
Honorabili tui thecæ reliquiarum.
Negociorum volutiones & reuolutiones vitæ.
Sanitatem corporis cum lætitia ligās.
Benedicens ipsos gubernas(q;), vt fas est.
Fers alas, vt adæquatus angelis.
Materialis existens immaterialis, vt Saluator dixit.

Ex

Salsuli. Ex Perpiniano *Salsulas* deuenimus: quo in loco Hispania hodie à Gallia diuiditur. Salsulis amplissimam arcem eandemque munitissimam in plano sitam conspeximus, quam maximis impensis & admirando opere nostra tempestate inclytus Hispaniarum princeps Ferdinandus huius nominis quartus ad arcendus Gallorum in Ruscinonensem prouinciam, atque adeo in Hispaniam irruptiones ædificandam curauit; teneturque ducentorum ac quinquaginta militum præsidio. Distant à Perpiniano Salsulæ leucas tres. Inde Galliam ingressi per loca quædam ignobilia *Narbonem* contendimus. Ciuitas est antiquissima; in planicie posita, solo feracissimo atque vbere. *Atax* fluuius partuorum nauigionem capax ab occasu vrbem alluit; eandemque à suburbio diuidit, *Aade* vulgus vocat. Clauditur & surburbium lapideo muro operis egregii, ab ea presertim parte quæ ad Hispaniam vergit, ad Salsularumque æmulationem conditus videtur. In suburbio Narbonensi collegiata Ecclesia est tituli S. Pauli Narbonensis Episcopi; in qua eiusdem Pontificis corpus pari cleri ac populi custodia seruatur. Intra vrbem Ecclesia est cathedralis archiepi-

Narbo.

Atax fl. *Hinc Varro* *Atacinus* *Argonauti cornm Apollonij La tinus inter pres.*

chiepiscopali dignitate decorata, diuis martyribus Iusto & Pastori sacra; quorū corpora supra altare maius eiusdem Ecclesiæ requiescunt, Cathedrali Ecclesiæ contiguum est Episcopium, quadrato lapide ædificatum, altitudine immensa videndum; regium palatium existimaueris.

Narbone egressi *Biterras* versus iter cepimus, vrbem vero, quod pestilenti morbo infecta erat, ingressi nequaquam sumus. Est autem *Biterra* ciuitas Episcopalis loco edito, qua occasum respicit posita, Ab eaque parte flumine alluitur *Orobio*, quod Indigenæ corrupto nomine *Orb* vocant. Distat à Narbone leucas quatuor. Regio fertilissima, qualis vniuersa Gallia Narbonensis est, frumenti, vini, & olei ferax, marisque commodis abundans. Ex Biterris *Montem Pessulanum* peruenimus. Oppidum est insigne, Magalonensis diœcesis, à Biterris vndecim distans leucas, monticulo quodam presso insidens adeo, vt non totum aliqua ex parte conspici possit. Domus sunt polito structæ lapide, mira celsitudine, viæ amplæ, egregia templa Monasterium diui Germani ab Vrbano Papa quinto ædificatum, primas illic tenet, in cuius Ecclesia tabula argentea miri operis (*retabulum* vulgus vocat

Biterra

Orobius fl.

Mons Pessulanus.

vocat) & frontale ma ors aræ eadem materia & arte v suntur. Est & in *Monte Pessulano* gymnasium illud medicinæ, annua humanorum corporum anatomia percelebre. Medicorum quoque collegium ab eodem *Vrbano* Papa quinto constructum. Ex Monte Pessulano *Lunellum* oppidum contendimus, quatuor inde distans leucas, transitoque ignobili quodam flumine, quod *Lunellum* alluit, relictoque itinere sinistræ manus, quod via regia & frequentiore in Italiam ducit, ad dextram iter cepimus per litus Genuense (sic hodie Liguſticam oram vocant) ingressuri. Igitur ex Lunello per vallem viridem, & sancti *Ægidii* oppidum Arelatensem ciuitatem deuenimus. Est autem *Arelate* prima prouinciæ vrbs, magno flumini *Rhodano* adiacens, loco partim plano, partim accliui posita. Distat à Lunello leucas VII. Vrbs est vetustissima, archiepiscopali titulo insignita, cathedralem Ecclesiam d uo *Trophimo* dicatam habens. Fuit autem *Trophimus* Arelatensis primus Episcopus, Apostolorum discipulus, de quo Lucas in actibus Apostolorum meminit sic dicens: *Comitatus est autem eum* (haud dubium quin *Paulum*) *Sosipater Pyrrhi Beroensis, Thessalonicensium*

Lunellum

Arelate.

Rhodanus

Trophimus Arelat. Episc.

ſium vero Ariſtarchus & Secundus & Caius Derbaus & Timotheus, Aſiani vero Tychus & Trophimus. Et in epiſtola ad Timotheum ſecunda Apoſtolus Paulus ſic inquit: *Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Huius autem *Trophimi* corpus in Eccleſia Arelatenſi loco celſiore, ferreis ianuis concluſo argentea theca reconditum, ſemel in anno, quarto videlicet Calen. Ianuarii, quod eius feſtum agitur, publice oſtenditur. Vidimus præterea intra ſacrarium eiuſdem Eccleſiæ caput S. Stephani protomartyris, à *Beato* Trophimo Arelatem delatum: corpora item Deſiderii Martyris, Bardulfi Abbatis, & alias Sanctorum reliquias, partemque inprimis ligni viuificæ Crucis. Intra eandem ciuitatem Eccleſia eſt *Beati* Antonii Abbatis, vbi corpus eiuſdem requieſcit, mira populorum frequentia, ac deuotione ſingulis fere diebus ſalutatum Eſt & Cœnobium ſanctiſſimæ Trinitatis, in cuius Eccleſia corpora vidimus Sanctorum Iulitæ, Cirici, Felicis, Fortunati, & Achillei. Extat adhuc Arelate ampliſſimum Amphitheatrum (*arenas* hodie vulgus vocat) in edito vrbis loco à Romanis olim conſtructum. Extra vrbem,

orientem versus, Ecclesia est Sancti Honorati, Arelatensis Præsulis, vbi eiusdem corpus requiescit; corpora præterea sanctorum Virgilii & Hilarii eiusdem vrbis Episcoporum. Est & in eadem Ecclesia oratorium in honorem Beatæ virginis Mariæ, à sancto Trophimo constructum, vbi idem Trophimus primum sepultus est; indeque in vrbem progressu temporum translatus, cuius Epitaphium Elegiaco carmine conscriptum ac lapidi parieti eiusdem oratorii affixo insculptum nos legimus. Est autem huiuscemodi.

Epitaphiū B. Trophimi.

Trophimus hic colitur Arelatis Præsulauitus,
Gallia quem primum sensit Apostolicum.
En hunc ambrosium proceres fudere nitorem,
Clauiger ipse Petrus, Paulus & egregius.
Omnis de cuius suscepit Gallia fonte.
Clara salutifera dogmata tunc fidei.

Hinc

Hinc constanter ouans ceruicem Gallia flectit
Et matri dignum præbuit obsequium.
Insignisque claret ingens cum gloria semper,
Gaudet Apostolicas se meruisse vices.

Ante prædictam Ecclesiam Beati Honorati area est ingens, sepulchris antiquorum Christianorum plena: lapidea monumenta sunt magnorum, vt apparet corporum capacia. Remanent adhuc eo in loco nonnulla Gentilium sepulchra cum Latinis inscriptionibus maiori ex parte vetustate consumptis. Sed illud nobis memorabilius visum est, quod ante portam exteriorem dictæ Ecclesiæ S. Honorati addextram manum conspeximus. Marmorea est vrna muro adhærens, in cuius fronte tale inscriptum legimus epigramma:

D. M.

DVLCISSIMO ET INNOCENTISS.

FILIO TANNONIO,
QVI VIXIT ANN. VI. M. VI. D VI.
TANNONIVS ET VALERIANA
PARENTES FILIO CARISSIMO
ET OMNI TEMPORE VITAE
SVAE DESIDERATISSIMO.

Salo. Ex Arelate profecti *Salonem* Arelatensis Ecclesiæ oppidum peruenimus. D stat ab eadem vrbe leucas septem. Inter Arelatem & Salonem campus ille est, quem *Melanborium* Strabo appellat, quemque, vt ipse ait, ventus vehemens, terribilis & violentissimus procellis infestat. Quod & nos, dum illac transiremus, re ipsa experti sumus, tanta ventorum vi, cælo alioqui sereno, exagitati, vt vix equis insistere possemus: ab incolisque didicimus frequentissimam illũ locum ventorum tempestatem infestare. Intra Salonem Ecclesia collegiata est diuo Laurentio sacra, vbi eiusdem brachium ostenditur.

Melanborius campus.

Aquæsextia. Ex Salone ad Aquensem ciuitatem contendimus, leucas quinque distantem. Hæc vrbs, *Aquæsextiæ* à Cosmographis nominatur: quæ inde sortita est nomen, quod eam *Sextius* dux, vt Livius refert libro sexagesimo primo (si Floro abbre-

uiatori credimus) redactis in potestatem *Salliis* vbi calidæ erant aquæ simul ac frigidæ ædificauit, atque à nomine suo ita appellauit. Ecclesiam habet Metropolitica dignitate insignem, tituli *S.* Saluatoris, in cuius sacrario caput vidimus Sancti Maximini socii *S.* Mariæ Magdalenæ, qui fuit Aquensis Ecclesiæ primus Præsul. Corpus præterea *Beati* Mithrii, qui in eadem ciuitate pro Christo martyrium pertulit. Brachium item Mariæ Magdalenæ. Caput vnius ex decem millibus Martyribus. Duo capita vndecim millium virginum. Costam vnam S. Sebastiani. Tres veras spinas de corona Domini nostri Iesu Christi. Duas portiunculas de ligno Crucis. In eadem Ecclesia in maiori choro ad manum dextram sepultus est Carolus Rex Siciliæ, & Comes prouinciæ, cum huiusmodi Epitaphio:

Epitaphiũ Caroli Regis.

Lilia Francorum cælestia munera Regum,
Relliquias veteris Andegauaque domus,
Occulit iste lapis, cælataque marmora claudunt:

Obruta sic fatis Regia sceptra iacent.
Hierusalem & Siculos, &, si per fata liceret,
Aragones poterat nostra tenere manus.
Sed fortuna diu nostros ne ferret honores,
Accelerat mortis tempora dira mihi.
Qui legis hoc tristi conscriptum marmore carmen,
Dic: Tibi sit requies, Carole, paxque tibi.

S. Maximi oppidũ. Ex Aquensi ciuitate ad oppidum S. Maximini, quod distat leucas sex, peruenimus. Est autem in diœcesi Aquensi situm monasterium habens locupletissimum Prædicatorum fratrum, in quo Ecclesia est permagnifica Mariæ Magdalenæ dicata. Ecclesiam intrantibus, ad sinistram manum capella sese offert, intra capellam spelunca est; ad quam gradibus descenditur ferreis clatris munita: quo in loco caput Beatæ Mariæ Magdalenæ in armario ferreo multis clauibus obserato summa cura adseruatur. Facies ipsa, tametsi

metsi tanta vetustate fere consumpta, venerandæ tamen mulieris speciem præ se fert. Habet & in fronte pellem adhuc cum carne; quo loci à Saluatore nostro tactam ferunt, cum in die resurrectionis eidem dixit: *Noli me tangere. Nōdum enim ascendi ad patrem meum* Intra tandem speluncam multa Sanctorum corpora requiescunt, vt apparet ex tabula in Ecclesia pendente, ad hunc modum inscripta. *In præsenti sacra Ecclesia sunt tumulata septem corpora Sanctorum de Societate Domini nostri Iesu Christi. Primo fuit tumulata Beata Maria Magdalena. Deinde S. Maximinus. Postea Sanctus Cedonius cæcus à natiuitate, sed illuminatus à Christo. Sancta Marcella, quæ dixit Christo Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Sancta Susanna discipula sanctæ Marthæ, quæ tāgendo fimbriam vestimenti Christi, sanata est ab infirmitate sua S. Blasius & S Sifredus, qui ambo fuerunt discipuli S. Maximini, & multa corpora sanctorum requiescunt in hac sacra Ecclesia.*

Ex sancto Maximino per castella quædam ignobilia ad *Forum Iulii* peruenimus, *Fregius* hodie vocant. Ciuitas est Episcopalis in ora Narbonensi posita ab occasu.

Forum Iulij.

occasu, ingens Theatrum maxime ex parte collapsum habens: ab oriente vero aquæ ductum longissimi tractus pluribus extantibus adhuc fornicibus, pro loci qualitate nunc celsis, nunc etiam depressis. Superato deinde monte difficillimo circuitus leucarum quatuor, Canoam oppidulum, atque inde *Antipolim* contendimus. Seruat adhuc nomen oppidum, ab incolisque *Antipol* vocatur, è regione Niceæ in littore situm, & ob eam rem *Antipolis* nominatum. Hoc in loco nonnulla Antiquitatis vestigia conspeximus; & in primis Theatrum ad occidentalem oppidi partem penitus iam collapsum.

Antipolis.

Ex *Antipoli Nicæam* concessimus maritimam & ipsam ciuitatem, quæ tametsi ad radices Alpium sita est; quia tamen vltra *Varum* flumen est posita, in Italia censetur, estque sub dominio Ducis Sabaudiæ. In editiore vrbis loco ad meridiem arx est munitissima mari imminens. Arci vicina est cathedralis Ecclesia, in qua corpus S. Hospitii Abbatis eximie colitur. Ecclesiam & arcem murus quadrato lapide constructus unico ambitu circumdat.

Alpes.
Turbia.

Ex Nicæa egressi *Alpes* statim conscendimus, perque iter arduum ac prærup

tum

tum *Turbiam* viculum in cacumine Alpium situm deuenimus. Distat is locus à Nicęa passuum millia nouem. Hic ille est locus, quem Cosmographi *Trophæa Augusti* vocant, corruptumque sine dubio apparet nomen, vt pro *Trophæa Turbiam* barbara appellatione vsus obtinuerit. Extat adhuc in arce eiusdem loci illa ipsa *Trophæi* inscriptio, cuius Plinius Secundus libro tertio Naturalis Historiæ ad verbum meminit. Est autem huiuscemodi.

IMP. CAESARI DIVI FILIO AVG. PONT. MAX. XIIII. TRIBVNICIAE POTESTATIS SENATVS POPVLVSQ. ROMANVS QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ALPINAE OMNES QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT. SVB IMPERIO POPVLI ROM. SVNT REDACTAE.

Ex *Turbia Monœci* portum & oppidum despeximus Peninsula quædam est exigui- *Monæcum.*

exigui ambitus, à radicibus montis, in quo *Turbia* est sita ortum habens hæc portum efficit paruum qu dem illum, neque magnis nauigiis accommodum. Est & in ea oppidum exædificatum, cum arce munitissima magni in eo tractu momenti, & qua haud facile inuito loci domino nauigare quis possit. Neque ignoramus plærosque esse, qui *Villam francam à* Nicæa vrbe duobus passuum millibus ad orientem d'stantem *Mœnoci portum* esse velint; nacti occasionem, quod portus illic profundissimus actutissimus cernatur; dicente item Lucano libro primo.

Villafranca.

Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus.
Vrget rupe caua pelagus: non Corus in illum
Ius habet, aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, & tuta pr. hibet statione Monœci.

Sed hos in errore versari palam est, cum *Mœnoci portus* is sit, quem ex *Turbia* conspici asseruimus: *Herculis* autem

portus

portus Villafranca sine dubio existat: id quod ex Ptolomæo apparet, cum loca illa libro tertio hoc ordine describat. *Nicaa Massiliensium, Herculis portus, Traphaa Augusti. Monœci portus.* Siquidem visuntur & hodie illo ordine *Nicaa Villafranca. Turbia Monœcus.* Quid? quod & Villæfrancæ portus non Circero obnoxius est, sed Africo potius vento. Contra Monœci portus Circio totus patet ab illoque acriter infestatur. Strabo præterea libro quarto, *Monœci portum* stationem quandam esse ait, non magnarum neque multarum capacem nauium, templum habentem Herculis cognomento *Monœci*, quod is in eo solus habitaret: quod de portu *Villæfranca* dici nequaquam potest, cum maximus ille sit multarumque ac magnarum nauium capacissimus, quod nos propriis oculis conspeximus. Nam cum ex Nicæa, quæ importuosa est, videndi illius portus causa, quod tam prope aderat, *Villamfrancam* peruenissem, permultas illic esse naues comperi, atque inter eas nonnullas onerarias, tantæque profunditatis omnibus in locis esse portum, vt naues quædam non paruæ oppidanis ædificiis

eſſent all gatæ, quod nobis viſum eſt admirabile.

Igitur ex Turbia Alpes deſcendentes, per prærup am omnino ad mare viam, vixque permeabilem iter eg mus. Imminent & immanes rupes ac præcipites, quæ juxta mare anguſtiſſimos relinquunt tranſitus. Quibus magno labore ſuperatis *Mentonum* littori Liguſtico impoſitum opp dulum deuenimus. Diſtat à *Turbia* is locus paſſuum mil. ſeptem.

Albintimilium. Ex Mentono *Albintimilium* eodem ſitum littore loco, quidem edito, ac natura munitiſſimo contendimus, vulgo corrupto nomine *Vintimiliam* appellat. Diſtat autem autem à *Mentono* paſſuū mil. quinque. Ciuitas eſt Epiſcopalis, in cuius maxima Eccleſia nonnullæ Sanctorum reliquiæ aſſeruantur, & in primis maxilla Beatæ Catharinæ. Maxilla item S. Blaſii. Digitus ſancti Nicolai. Extra vrbem vltra flumen *Rhutubam*, quod ab Alpibus deſcendens eandem ab oriente alluit; *Rhutuba fl.* *Rodoriam* hodie vocant, cœnobium eſt Diuo Auguſtino dicatum, in planicie ſitum, ante cuius veſtibulum partem quandam lapideæ columnæ conſpeximus, cum huiuſmodi inſcriptione.

IMP.

IMP. ANTONINVS PIVS FELIX AVG. PONI CVRAVIT.

Ex Albintimilio ad S. *Romulum* deuenimus, quod oppidum paruum eiusdem oræ loco accliui positum. Planicies quæ inter oppidum & mare interiacet haud magnam amplitudinem præ se ferens, citreis arboribus tota est consita. Asportantur & inde mala ipsa citrea in Galliam Narbonensem, & alias regiones; proque illorum precio non parua frumenti copia eodem reportatur. Sunt & palmæ multis in locis inter citreas arbores insertæ, ex quibus non paruos prouentus oppidani capiunt. Satis constat palmarum ramos magno inde numero ab Albingaunio Antistite, in cuius diœcesi *S. Romuli* oppidum situm est, ad festum Dominicæ in ramis celebrandum, ex veteri obseruatione, Romam quotannis mitti. *S. Romulus*

Ex S. Romulo per *Tabiam & Mauricii portum* Dianum & Atasem oppida, & ipsa littoralia *Albingaunum* Episcopalem ciuitatem peruenimus. Sita in planicie vrbs est quingentos vix passus à mari recedens. Ab occasu autem Asenta flumine alluitur *Albingaunum*

alluitur, sic vulgus hodie appellat, quem *Merula fl.* Plinius *Merulam* vocat. Solum est fertilissimum, ex quo præ cæteris ingens vis cannabis colligitur. Cathedralis Ecclesia Diuo Michaeli sacra. In ea corpus S. Verani Episcopi colitur. Est & aliud inter eandem vrbem templum quod S. Mariæ de fontibus dicitur, in quo corpus sancti Benedicti Episcopi requiescit.

Finarium Ex Albingauno *Finarium* oppidum peruenimus, ab aeris salubritate sic nominatum. Titulus est Marchionatus nobilis cuiusdam Genuensis ex familia *Carretta*, duo propè passuum millia à mari distans. In maritima Finarii oppidulum, est, templum habens celeberrimum Diuæ Virgini sacrum, *Sancta Maria depia* dicitur, variorum votorum atque in primis nauigantium anathematis refertum ob insignia miracula, quæ ob singularem fidelium deuotionem ad Beatissimam dei genitricem, quæ illo in templo eximie colitur, quotidie Deus operatur.

Naulum Ex Finario *Sauonam* versus pergentes, medio fere itinere *Naulum* paruam vrbem ex altis montibus in littore sitam conspeximus. *Noli* hodie vulgus vocat. Hæc portu ac celsis turribus insignis habetur.

Sauo-

Sauonam deinde ventum est magnificam ciuitatem ac multorum populorum commercio frequentissimam. Alluitur & hæc Ligustico pelago, portum habens oblonga lapidum mole fluctibus interiecta fabricatum, multarum maximarumque capacem nauium. Habet & arcem ad meridionalem plagam situ & arte munitissimam. In Cathedrali Ecclesia, quæ loco editiore eiusdem vrbis sita est corpus S. Octauiani Episcopi colitur. *Sauona.*

Ex Sauona per *Varagiam Len'enum Vtrimac Sestrim* maritima oppida, *Genuam* Liguriæ metropolim contendimus. Distat à Sauona *Genua* passuum mill. triginta. Ciuitas est nobilissima in littore ædificata, hemicycli speciem præ se ferens, circuitu passuū quattuor milliū, collibus qui vrbi iminent omni ex parte subiecta, qua ex re inamplitudinem extendi nequaquam potuit; prementibus hinc monticulis, inde mare ciuitatem ipsam subeunte. Videtur autem ad Meridiem Occasumque tota exposita. Arcem habet ad Septemtrionem editissimo loco impositam. Ea Gallorum Regis nomine & impensis à Galloque præfecto tunc tenebatur ducentorum hominum præ- *Genua.* *Arx.*

præsidio. Portum autem, cum nullus natura esset, (est enim *Liguria* fere omnis importuosa Strabone auctore) arte amplissimum, atque eundem munitissimum Genuenses effecere; quamquam non tutam omnino stationem nau.bus præbet, quippe qui vento Africo nonnunquam infestatur; quo ipsæ interdum onerariæ naues, validissimis licet funibus anchorisque offirmatæ in discrimen venire solent. Est & nauale in occidentali suburbio ædificatū, duodecim triremes cōtinens momento temporis, si vsus venerit, omni apparatu bellico instruendas. Secundum has triremes aliæ quattuor in portu sunt remigibus nauticoque instrumento munitissimæ ad piratarum latrocinia, Turcarum præsertim, qui maria omnia infestant, facile compescenda: quibus Andreas Auria, vir domi nobilis naualibusque prælijs satis per orbem notus, decreto publico præfectus est. Hic est ille Andreas qui anno ab hinc secundo Turcarum piraticam classem, summa felicitate vsus, ad Planasiam insulam deleuit, ingentemque de hostibus prædam Genuam reportauit. Vias habet Genua quæ celebriores sunt, satis amplas: domos

Andr eas Auria. De cuius vita rebusque gestis Car. Sig. An. 1518.

domos pulcherrimas ad cælum fere tendentes. Immensa est populi multitudo, adeo vt præ turba vix per vias incedere quis possit. Vestitus, forma, & color, eadem omnibus. Nigras ferunt vestes & laneas & sericeas; neque facile nobilem ab ignobili distinxeris, tanta est in exteriore cultu inter ciues æqualitas. Mulieres egregia pulchritudine profert Genua, sed illas efficit pulchriores tum vestitus ipse, qui ampliorem corporum speciem reddit, tum vero capillamenta summa arte ad decorem composita. Flauos magnopere crines amant, quamobrem plurimũ iisdem rutilandis studii impendũnt. Quin & tenuissimas auri bracteas, quo splendidior coma videatur, capillis nonnunquam inferunt. Est & illud peculiare Genuensibus fœminis, vt solæ per vias incedant nullis comitatæ ancillis, vtque diebus festis pro foribus turmatim considentes, quam ornatissimæ conspiciantur. Interdum autem binæ aut ternæ matronæ quaternæve per vrbem ambulant. Florum manipulos, aut odorantes herbulas manibus, aut sinu frequenter gestãt. Genuenses mercatura viuunt. Nam cum asperrimam terram incolant, qualis omnis est Liguria, victumque haud regio facile

Liguria

facile præbere possit; necesse est vt aliunde quærerent: quam ob causam omnes fere orbis prouincias mari adeunt Habēt enim & nauium ingentium, quas vulgo *carracas* vocant,& aliorum nauigiorum non paruum numerum. Materiam vero nauibus exædificandis frequentissimam Liguriæ montes præbent: quamquam arbores ad crassiores celsioresque malos extruendos ex Gallia & Corsica insula importentur.

Reliquiæ S Ioan. Bapt.

In Cathedrali Ecclesia, quæ diuo Laurentio dicata est, metropolitica fulgens dignitate, corpus B. Ioannis Baptistę, id est, cineris eiusdem ac ossa semicombusta pulcherrimo sacello ad dextram Ecclesiæ partem constructo adseruantur. Hæc autem ex Myra Lyciæ vrbe à Genuensibus aduecta sunt, anno domini M.CXLIX. Nam cum à captione Antiochiæ, quo magna classe cōtenderant Asiaticis Christianis auxiliū laturi, in patriam redirent, ac *Patara* quæ in ora Lyciæ sita est ciuitas, appulissent Myream vrbem illi propinquam, quæ mutato à Barbaris nomine *Stramita* nunc dicitur, adeuntes, ac corpus S. *Nicolai* eiusdem vrbis Pontificis summa diligentia conquirentes, cum asportatum iam inde ab annis mul-

tis didiciſſent, corpus B. Ioannis Baptiſtæ incineratum diuino munere ſub altari quodam illic repertum, Genuam detulerunt. Quod & ipſum Alexander & Innocentius quartus ſummi Pont. cognoſcentes, datis priuilegiis, gratias & indulgentias continentibus atteſtati ſunt. In eadem Eccleſia corpus S. *Syrimo Syli* potius tertij Genuen. Epiſcopi requieſcit, quod ſub maiore ara B. Laurentii reconditum primum fuerat, cum huiuſmodi Epitaphio.

Hic recubat Sylus ſacro baptiſmate dictus,
Cuius terra leuis florida membra premit.

Leuatum autem inde poſtea eſt, ac ſupra eandem aram eminentiore loco repoſitum.

In ſacrario præterea eiuſdem Eccleſiæ innumeræ ſanctorum reliquiæ continentur, & in primis caput S. Laurentii, Brachium & tibia eiuſdem, & de craticula in qua aſſatus fuit, Caput Barnabæ Apoſtoli. Vertex capitis S. Andreæ: Caput S. Sebaſtiani Martyris. Duo capita Innocentium. Brachium S. Matthæi. Brachium S. Gregorii Martyris. Brachiū S. Tripho

Tr phonis: Brachium S. Theodori Martyris. Quatuor brachia Innocentum. Manus dextra S Iacobi minoris. Tibia S. Blasij De thure, myrrha, & auro oblatis Domino nostro Iesu Christo. Dens quidam magnus Beati Christophori. Spatula Danielis prophetæ. Manus S. Patricij. De ossibus Beati H larionis. Item vas quoddam ex lapide Calcedonio ab Innocentio Papa octauo eidem Ecclesiæ donatum. D scus esse dicitur, in quo Herodiadis filia caput Io. Baptistæ retulit matri suæ Est item argentea Crux, miro opere elaborata, tanti ponderis, vt à quatuor hominibus vix portari queat; in qua non parua portio ligni viuificæ Crucis continetur. Hanc à Constantinopoli Genuam relatam ferunt.

Catinus smaragdinus.

In eodem sacrario intrantibus ad sinistram manum locus sese offert, in quo catinus ille smaragdinus, per totum orbem diffimatus, summa custodia adseruatur intra armarium autem continetur tribus ferreis occlusum ianuis: quæ clauibus tredecim obserantur. Est autem vas sexangula figura, digitali crassitudine, circuitu (vt conectari potuit) palmorum quatuor cum dimidio, altitudine palmi vnius in acutum sursum deorsum

tendens

tendens, rotunda basi desinens, duas habens ansas, ex viridanti totum smaragdo, precii incomparabilis, summa arte laboratum. Ferunt Genuensium annales à Cæsarea Palæstinæ anno ab hinc quadringentesimo supra nonum ac decimũ Genuam relatum. Nam cum Balduino Hierosolymorum Regi in expugnanda Cæsarea, ingenti parata classe Genuenses suppetias tulissent, eisque ex pacto tertia pars prædæ deberetur, catinum illum smaragdinum, in quodam Cæsareæ templo tunc repertum, in sortem illos aiunt recepisse, eundemque domum redeuntes Ecclesiæ suæ dono dedisse. Sed illis nostræ, id est, Hispanicæ historiæ aperte refragantur; in quibus legimus Alphonsum huius nominis octauum, qui se Hispaniarum Imperatorem appellauit, extremo regni tempore Almeriam, quę in ora est Bæticæ, terra marique acriter oppugnatam vi de Sarracenis recepisse, classeque Genuensium in eadem obtinenda vrbe mediocriter esse adiutum, ciuitatisque dominio sibi tantum retento, prædam omnem quæ ab hostibus capta fuerat, ita diuisisse, vt spolijs quotquot fuerant in vnum coactis locum discus ex lucidissimo smaragdo, qui for-

te Almeriæ repertus fuerat, altera ex parte poneretur; Genuensibusque ob egregiam eo bello Regi nauatam operam optionem esse factam alteram prædæ partem eligendi, smaragdinumque discū vtpote rem pretii inæstimabilis ab eisdem electum esse, tantoque dono lætiores in patriam reuertisse.

Intra eandem Ecclesiam prope sacellum B. Io. Baptistæ infixam columnæ vidimus æneam tabulam vetustissimam, literis maiusculis incisam, quæ vt ex subscriptione apparet effossa fuerat prope Genuam in valle *Porcifera* (amnis est nomen) ad iugi radices, anno ab hinc sextodecimo, id est humanæ salutis M. D VI. cuius exemplum summa diligentia transcriptum, ac cum eadem tabula exactissime collatum, tametsi longiusculum erat, in gratiam tamen Antiquitatis nulla littera addita, detractave, huic nostro Itinerario inserere volumus. Sententiam esse apparet Romanorum antiquissimam, fines Genuensis agri terminantem, tenoris huiuscemodi.

Exemplum aneæ tabulæ Genuæ. *Q. Mutius Q. F. Rufus de controuerfeis inter Genuateis & Veiturios in re præsente cognoverunt: & coram inter eos*

con-

controversias composciuerunt: & qua lege agrum poßiderent, & qua fineis fierent, dixserunt eos fineis facere, terminosque statui iouserunt: vbei ea facta essent Romā coram venire iuserūt. Roma coram sententiā ex Senati Cōsulto dixerunt Eidib. *Decemb. L. Cæcilio. Q. F. Q. Mutio, Q. F. Cos. Qua ager privatus Gasteli Veiturioru̅m est, quem agrum eos vendere heredemque sequi licet: is ager vectigal nei fiet. Lāgatium fineis agri privati ab rivo infimo, qui oritur ab fontei in Mannicelo ad flovium Edem ibi terminus stat. Inde flouio suso vorsum in flovium Lemurim. Inde flovio Lemuri susum vsque ad riuom Gomberane. Inde riuo Cōberanea susum vsque ad conualem Captiemam, ibi termina duo stant circum viam postumiam Ex eis terminis recta regione in rivo Vindupale. Ex rivo Vindupale in flovium Neviascam. Inde dorsum flouio Neuiasca in flouiū Procoberam*

Immanicelo.

Vind.

coberam

coberam. Inde fluvio Procobera deorsum usque ad riuum Vinelascam infumum: ibei terminus stat. Inde sursum riuo recto Vinelesca: ibei terminus stat, id est, propter viam postumiam. Inde alter trans viam postumiam terminus stat Ex eo termino quei stat transuiam postumiam recta regione in fontem in Manicelum. Inde deorsum riuo quei oritur ab fonte in Manicelo ad terminū quei stat ad floviū, Edē ageri publici, quod Langenses posident: hisce finis videntur esse: vbi confluont Edus& Procobera ibei terminus stat. Inde Ede flouio sursouersum in montem Lemurino infumo: ibei terminus stat. Inde sursum vorsum iugo recto monte Lemurino: ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto Lemurino: ibei terminus stat in monte Procauo. Inde sursum iugo recto in monte Lemurinum summum ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in castelum., qui vocitatust

Immani cello.

tust Alianus, ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Louentionem ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Apennium, quei vocatur Boplo ibei terminut stat. Inde Apeninum iugo recto in montem Tuledonem ibei terminus stat. Inde deorsum iugo recto in flouium Veraglascam mōtem Berigienam infumo ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem Premicum ibi terminus stat. Inde deorsum iugo recto in flouium Tulelascam ibi terminus stat Inde sursum iugo recte Blustiemelo in montem Claxelum ibi terminus stat. Inde deorsum in fontem Lebriemelum ibi terminus stat. Inde recto riuo Eniseca in flouium Proceberam ibi terminus stat. Inde deorsum in flouium Procoberam vbei confluont floui Edus & Procobora ibei terminus stat. Quem agrum poplicum iudicamus esse: eum agrum Castelanos, Langenses, Veiturios posidere fruique

Louentionem.

Berigienia.

G videtur

videtur oportere: pro eo agro vectigal Langenses Veituris in poplicum Genuam dent in annos singulos VIC .N. CCCC. Sei Langenses eam pequniam non dabunt neque satisfacient arbitratu Genuatium, quod per Genuenses mora non fiat quo setius eam pequniam accipiant, tum quod in eo agro natum erit frumenti partem vicensumam vini partem sextam Langenses in poplicum Genuam dare debento in annos singulos. Quei intra eos fineis agrum posedet, Genuas aut Viturius quei eorum posedit K. Sextil. L. Caicilio. Q. Muutio. Cos. eos ita posidere colereque liceat, eus quei posidebunt vectigal Langensibus proportione dent: ita uti ceteri Langenses quei eorum in eo agro agrum posidebunt fruenturque. Praeterea in eo agro ni quis posideto nisi de maiore parte Langensium Veituriorum sententia: dum ne alium intromittat nisi Genuatem aut Veiturium colendi causa. Quei eorum de maiore parte

Lan-

Langensium Veiturium sententia ita non perebit: is eum agrum nei habeto neiue fruimino. Quei ager compascuos erit: in eo agro quo minus pecuascere Genuates Veituriosque liceat ita vtei in cetero agro Genuati compascuo ne quis prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque sumant vtanturque. Vectigal anni primi. K. Ianuaris secundis Veturis Langenses in poplicum Genuam dare debento . Quod ante K. Ianuaris primas Langenses fructi sunt eruntque vectigal inuitei dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxuma fænisicei. L. Cæcilio Q. Muutio Cos. in agro poplico quem Vituries Langenses posident: & quem Odiates & quem Dectunines & quem Cauaturines & quem Mentonines posident: ea prata inuitis Langensibus & Odiatibus & Dectuninibus & Cauaturines & Mentonines quem quisque eorum agrum posidebit inuiteis eis ni quis sicet: niue pas-

cat: niue fruatur Sei Langenses aut Odiates aut Dectunines aut Cauaturines aut Mentonines manent in eo agro alia prata inmitere desedere ficare, id vti facere liceat dū ne ampliorē modū pratorum habeant quam proxuma æstate habuerunt fructique sunt Vituries. Quei controuersias Genuensium ob iniourias iudicati aut damnati sunt, sei quis in vinculeis ob eas res est: eos omneis soluei mittei leiberarique Genuenses videtur oportere ante eidus Sextilis primas. Si quoi de ea re iniquom videbitur esse, ad nos adeant primo quoque die & ab omnibus controuersieis bono publ. li. leg. Moco. Meticanio Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni. F.

Hactenus ænea tabula, in qua præter antiquam illam elegantiam & orthographiam multis in locis ab ea, quam postea vsus obtinuit dissidentem, illud ad notandum est, easdem dictiones vario modo insculptas illic repertas esse. Siquidem & *iouserunt* scriptum legitur, & *iuserunt*, & *dixserunt* & *dixerunt*: & *su-*

sum

um & ſurſum & *Procobera* & *Porcoberæ* & *Genuates & Genuenſes*; & *Langates* & *Langenſes*. & alia ad hunc modum nonnulli, qua de re lectorem admonendum eſſe cenſuimus, ne id librariorum negligentia putaret accidiſſe.

Sunt aliæ intra Genuam Eccleſiæ, in quibus ſanctorum reliquiæ adſeruantur, & in primis Eccleſia S. Matthæi, quæ in platea Auricenſium ſita eſt, ſub cuius maiore ara corpus B. Anaſtaſiæ Virginis & Martyris Conſtantinopoli aduectum requieſcit. Corpora item Sanctorum Martyrum Mauri & Eleutherii, & cineres SS. Martyrum Maximi & Pelagii in eadem Eccleſia continentur.

In Eccleſia præterea S. Syri corpus ipſius reconditum eſt, & corpora ſanctorum Confeſſorum Felicis, Romuli, & Valentini.

Prope eccleſiam Cathedralem vbi paululum aſcenderis, palatium ſeſe offert publicum, ingentem ſub dio aream continens. Hoc inhabitat *Octauianus Fregoſus*, vir ſtrenuiſſimus Genuenſium Reip. auſpiciis Gallorum Regis gubernator, trecentorum hominum præſidio ſeptus. In palatio cum fratre habitat *Fedéricus Fregoſus* Salernitanus Archipræ-

sul, litterarum egregius cultor, Græcæque ac Latinæ linguę per quam eruditus, consilio & auctoritate fratri in patriæ gubernatione, adiutor.

Genuensium ditionis tota ora Ligustica est à *Corui* (quod vocant) promontorio vsque ad *Monæci* portum. Continet autem id littus millia passuum ducenta, in cuius medio ipsa sita est Genua, cui tanquam matrici ac principi omnes eæ ciuitates, quæ in Liguria visuntur, innumera præterea castella, ac vici parent. *Corsicam* item insulam in mari Ligustico Genuenses possident, & in ora Ioniæ *Chium*. Felices inquam homines, nisi mutuis certantes odiis, dum alterum alteri cedere inhonorum ducunt, eas inter se factiones suscitassent, quæ ipsam Rempublicam, qua nihil carius illis esse debuisset, propemodum euerterunt. Sed de *Genua* hactenus.

Sarzana

Inde profecti per Ligustica oppida tã maritima quam etiam mediterranea *Sarzanam* peruenimus. Distat à Genua *Sarzana* passuũ millia sexaginta, à mari vero duobus tantũ millibus. Ciuitas est Episcopalis, siquidem Lunensis Ecclesia in eandẽ translata est, diruta iam inde *Luna* antiquissima ciuitate, & ad mare posita.

Luna.

In.

In Cathedrali Ecclesia, quæ diuæ Virgini dicata est, corpus Beati Basilii Lunen. Episcopi summa veneratione colitur. In eadem Ecclesia Sacellum visitur Thomæ Apostolo sacrũ. Hoc Philippus Cardinalis Bononiẽ. Nicolai Papæ quinti germanus frater (fuerat ex Sarzana vterq;) cõstruxit, dotauitque. In hoc Sacello mater Nicolai V. sepulta est, cuius Epitaphiũ, ob rarũ felicitatis exemplum, addendum hic censuimus. Est autem huiuscemodi:

ANDREOLA DE CALANDRINO, NICOLAVM V. PONT. MAX. SEDENTEM ET PHILIPPVM CARD. BONONIEN. MAIOREM POENITENTIARIVM EX SE NATOS ROMAE MATERNO AFFECTV SALVTAVIT. SPOLETI MORIENS EIVSDEM CARD. PIETATE IN PATRIAM DELATA HVMILI HOC TVMVLO, FELIX TANTA PROLE, QVIESCIT. VIX. ANN. LXXX. OBIIT ANN. M. CCCC. LI.

Ex Sarzana per Massam Episcopalem ciuitatem & oppidum Petram Sanctam,

Lucam concessimus. Distat à Sarzana Luca millia passuum duo supra triginta. Ciuitas est libera, loco plano, licet non admodum fertilissima, Episcopalem habēs Ecclesiam amplissimam ac pulcherrimam, Diuo Martino dicatam, in qua multa Sanctorum corpora requiescunt, & in primis corpus B. Reguli Episcopi Populoniensis, & Martyris. Corpus S. Agnelli Abbatis. Corpus S. Lucinæ matronæ Romanæ. Corpus S. Benedicti presbyteri. Corpora SS Vincentii, & Benigni, Iasonis, Mauri, atque Hilariæ Martyrum. Corpora item SS Remedii, & Auertanis Episcoporum, In eadem Ecclesia sepulchrum cernitur Mathildis Comitissæ illius inquam Mathildis quæ opulentissimo legato Romanæ Ecclesiæ patrimonium auctius reddidit, Quamquā sunt qui dicant non eo in loco, sed in monasterio S. Benedicti permagnifice ab ea ædificato, quod duodecim passuum millibus distat ab vrbe Mantua, sepultam esse, Sunt & aliæ intra Lucensem ciuitatem Ecclesiæ, in quibus Sanctorum corpora visuntur. Siquidem in Ecclesia S Michaelis quæ in maximo foro sita est. collegium Canonicorum habens, corpus iacet S. Dauini Confessoris. In Ecclesia vero S. Paulini

Paulini eiusdem corpus requiescit. Corpora item SS Martyrum Valerii, Tiburtii, Valeriani, & Maximi, Theobaldi & Lucæ. In Ecclesia S. Fridiani Episcopi & Confessoris corpus eiusdem iacet, Ricardi præterea Confessoris & Cassii Episcopi, & Faustæ Virginis. In Ecclesia S. Alexandri corpus eiusdem. In ecclesia S. Ioannis, corpus S. Pantaleonis Martyris. In Ecclesia S Dominici, Prædicatorum fratrum institutoris, Romani Martyris, corpus. In ecclesia S Bartholomæi in silice, quæ est in suburbio, corpus S Pontiani Martyris. In Ecclesia S. Iustinæ, corpus Sylai Episcopi & Confessoris. In ecclesia S. Donati, corpus S. Theodori Episcopi Lucensis. In ecclesia S. P. extra muros corpus S. Synesii Martyris. Horum autem omnium diuorum fastos dies quotannis Lucensis ecclesia solet celebrare.

Luca discedentes *Senas* versus iter acturi, *Fusecium* oppidulum *Arno* flumini adiacens, peruenimus. Scaphis deinde traiecto flumine, quamquam passuum millia viginti à recto itinere flectere videbamur, ne tamen Florentia inclyta vrbe non conspecta progrederemur, mutato consilio ad sinistram versi, per Montem Lupum, Emporiam & *Fusecium*

G 5 La-

Lastram Florentiam conceſſimus,

Eſt autem *Florentia* ciuitas Ethruriæ ampliſſima, plano loco ædificata. Hanc *Arnus* fluuius mediam fere interluit, quatuor magni operis pontibus intra vrbem iunctus. Vias habet longitudine & latitudine inſignes permagniſque lapidibus ſtratas, celſa præterea domorum frontiſpicia, quæ & ipſa lapide, perpolito maiori ex parte ædificata viſuntur. Templum in ea vrbe eſt celeberrimum diuæ Virgini ſacrum, Metropolitica fulgens dignitate; hoc extrinſecus marmoreis lapidibus albis ac nigris pulcherrima varietate incruſtatum cernitur. Turris, qua campanæ continentur, eodem fabricata opere immenſa celſitudine viſenda, Eccleſiæ proxima eſt mediainterjecta via. In hac Eccleſia innumeræ Sanctorum reliquiæ continentur, Apoſtolorum videlicet, Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum. Corpora præterea S S. Zenobii & Podii eiuſdẽ vrbis Epiſcoporum; & SS. Eugenii & Creſcentii Confeſſorum; E regione maximi templi Eccleſia eſt rotunda Ioanni Baptiſtæ ſacra. hanc *Baptiſterium* appellãt, tota & hæc marmorea, habens ianuas, quas æneæ valuæ operis egregii occludunt. In medio illius Eccle-

Florentia.

ſiæ

ſiæ Baptiſterium è marmore lucidiſſimo poſitum viſitur In hoc Florentini omnes baptiſmi lauacrum percipiunt, neque alibi quiſquam præterquam in hoc baptiſterio aquis ſalutaribus tingitur. In hac Eccleſia Balthaſar Coſſa, Ioannes quondam Papa XXIII. ſepultus eſt nobili monumento, cum huiuſmodi Epitaphio.

IOANNES QVONDAM PAPA XXIII. OBIIT FLORENTIAE ANNO DOMINI, M. CCCC. XVIII IX. CALENDAS IANVARII.

Habet Florentia parochiales Eccleſias quattuor & quadraginta, è quibus nonnullæ ſunt collegiatæ. Has autem omnes & pulchritudine & ſtructura Sancti Laurentii baſilica excellit à *Mediceorum* illuſtri familia ædificata, quæ & ipſa collegium canonicorum habet. Vidimus intra illam Eccleſiam pulcherrimo ſacello magni illius *Coſmi de Medicis* viri opum affluentia famigeratiſſimi marmoreum monumentū, cum huiuſmodi inſcriptione: DECRETO PVBLICO PATER PATRIAE. Hic ille eſt Coſmus qui filium habuit Petrum, nepotem Lauren-

Medici.

Laurentium. pronepotem vero Ioannem, qui nostra tempestate ob vitæ integritatē moresque sanctissimos, post Iulium Papam II. ex Diacano Cardinali primario octauum ac tricesimum agens annum, communi Patrum concordia tot usque Christianæ reipub. mirabili applausu ad summum pontificatum euectus est, ac LEO X. appellatus. Virorum ac mulierum cœnobia septuaginta & sex intra vrbem *Florentiam* & in suburbanis sunt. Xenodochia numero octo supra triginta. In palatio publico eiusdem ciuitatis Euangelium B. Lucæ Græce conscriptum ostenditur, putantque ipsius Euangelistæ autographum, Monstrantur item Pandectæ illæ archetypæ iuris ciuilis, id est, Digestorum libri, Latino sermone à Iustiniano Cæsare cōpositæ. vtraque enim lingua, id est, & Græce & Latine idem liber est editus. Nutrit præterea *Florentia* Leones ex publico magno numero, estque ciuitatis insigne *Leonis aurata imago*, quamquam gestant & *Lilii rubeum florem* ad vrbis nomen alludentes. Ditissimus supra modum populus, vt qui terræ abundet fructibus, & ingenio & industria maximam sibi pecuniarum vim comparet. Nemo illic ocio vitam transigit, sed mercaturæ aut artificio

intenti

intenti omnes: neque probro nob litati datur rem familiarem honestis artibus auctiorem reddere. Litteras & Græcas & Latinas ab incunabulis Florentini perdocentur, neque rem militarem neglıgunt, vtpote qui armis ac potentia bonam Hetruriæ partem in potestatem redegerint, te dactam fortissime tueantur. Mulieres pulcherrimas habet Florentia, id quod vniuersæ fere Italiæ commune est. Naturalem autem Italicarū feminarum pulchritudinem splendidus cultus auget: quæ ex re externos in sui admirationem facile conuertunt, cum humana effigie augustiores esse videantur. De *Florentia* autem hactenus dictum sit.

Inde profecti per Sancti *Cassiani* oppidum ac *Pogium*, qui *Pontiu* dicitur, *Senas* deuenimus. quæ vrbs duobus ac triginta millibus passuum à Fiorentia seiungitur. Ciuitas est permagnifica, loco partim accliui posita. Intrantibus antemuralis primum area sese nobis obtulit, satis ampla, ad portam ipsam ciuitatis pertingens. In huius areæ medio columnam vidimus marmoream. huic lapis erat impositus ab ea parte quæ Florentiam respicit Imperatoriis insignibus ac Portugalensium regum insculptus; altera autem ex parte, id est,

Sena.

Senas versus tale continebat epigrama:

Epigrama. CAESAREM FEDERICVM III. IMP. ET LYONORAM SPONSAM PORTVGALIAE REGIS FILIAM HOC SE PRIMVM SALVTAVISSE LOCO, LAETISQVE INTER SE CONSVLTASSE AVSPICIIS MARMOREVM POSTERIS INDICAT MONVMENTVM. AN. DO. M. CCCC. LI. VII. KAL. MARTIAS.

Ecclesiam habet *Sena* satis pulchram metropolitica dignitate insignem, quæ Virgini sacram. In hac sacellum est B. Ioannis Baptistæ ex Pario extructum lapide, in quo dextrum præcursoris brachium peculiari Senens. Senatus custodia seruatur, neque nisi semel in anno idque in eius festiuitate, hoc est, viii. Calen. Iulii publice ostenditur. Iuxta hoc sacellum Bibliotheca ædificata est, muros habens historia Pii Papæ secundi ex nobilissima eiusdem vrbis Picolomineorum familia progeniti intrinsecus depictos. Eregione Cathedralis EcclesiæXenodochium illud est per totum orbem memoratum quod

Sancta

Sancta Maria de la Scala dicitur. Hoc viginti aureorum milium annuos reddi t⁹ possidere aiunt; idque omne neque unico tantū numo reseruato pietatis operibus quotannis impendi. In quodā autem sacello Ecclesiæ eiusdem Xenodochii, quæ amplissima est, ac deaurato cooperta tecto, vnus è clauis, quibus Saluator noster cruci affixus est, adseruatur. Habet & Sena Academiam percelebrem, id est, generale studium, vnde & complures magni in re litteraria nominis hactenus prodierunt, & cultiores indies prodeunt. Quod illi ciuitati cum multis Italiæ vrbibus commune est, in quibus litterarum studia maxime florent. Siquidem ad cæteras felicitates illa vel præcipua Italiæ accedit, quod omnium bonarum artium domicilium, non secus ac illa quondam Græcia, iure potest appellari.

Ex Sena per *Lusignanum, Bonconuentū, Sanctum Quiritium*, ac *PontemSentinum* ad *Aquam pendentem*, (sic oppidum hodie nominatur quod Ptolemæus *Aquulam* vocat) & *Vulsinium*, lacui qui *Vulsinus* dicitur impositum, iter fecimus. Vulsinii corpus Beatæ Christinæ Virginis & Martyris continetur, quæ eo in loco pro fidei confessione in lacum magno grauata pōdere ab impiis coniecta, cū diui

Aquula.
Vulsinium.
B. Christina,

pa

na virtute liberata esset, variis cruciatibus afflicta sagittis tandem confecta est.

Mons Falisc orum. Ex *Vulsinio* ad Montem Faliscorum deuenimus, qui corrupta appellatione *Monte flascon* nunc dicitur. Oppidum quidem nobile loco edito situm, intra quod Ecclesia est Margaritæ Virgini sacra, vbi eiusdem corpus paucis ab hinc annis repertum summa veneratione colitur. Est & alia Ecclesia quæ S. Flauiani appellatur. Hic autem *Flauius* cum Hadriano imperante illius oppidi præfectum ageret, pro CHRISTI nomine Martyrium pertulit, eiusque caluaria illic ostenditur. Distat id oppidum à Senis mil. pas. lvii.

S. Flauianus.

Viterbum. Ex *Monte Faliscorum Viterbum* concessimus, quæ ciuitas est haud vetusti nominis; media planicie, eaque arenti (quamquam intra vrbem nobiles visuntur fontes) ædificata. Distat à Monte Faliscorum mil. pass. viii. Ecclesiam habet Episcopali dignitate insignem, in qua corpora SS. Valentini & Hilarii requiescunt. Corpora item Eugenii, Narcissi, Argei, & Marcellini, Papatæ & Tranquillini, Martyrum Hæc *Longula* à Cosmographis vocatur, siquidem *Viterbum* noua appellatio est, id quod ex tabula marmorea appa-

ret

ret Longobardicis literis incisa quæ paucis ante annis in agro Viterbensi reperta est qua beneficia in Viterbum & alia Ethruriæ loca Desiderius Longobardorum rex memorat, in qua sic legitur: *Et ut sub uno muro cingant sua tria oppida Longulam, Vetulonium, & Turrenam Volturnam dictam Etruriam totamque urbem nostra adiectione Viterbum pronunciant.* Est & in eadem ciuitate monialium cœnobium, tituli S. Rosæ: in cuius Ecclesia corpus eiusdem virginis integrum ostenditur, præsidioque esse parturientibus pro comperto habetur, si cingulo aliquo præcingantur, quod corpus sanctæ Rosæ tetigerit. Qua ex re cingula tum lanea tum serica, interdum etiam aureo & argenteo contorta filo, quæ sanctum tetigere corpus in hunc vsum ab eodem cœnobio acceptæ per totum orbem asportantur.

EX VITERBO autem, superato *Cominio* monte, *Roncillionem* concessimus, Montem deinde *Rosulum*, *Baccenas*, *Insulam*, ignobilia quidem loca licet, solo feracissimo posita prætereundo,

ROMAM tandem ex Hispania peruenitur.

F I N I S.

Exiguum, at magni pignus Amoris Habe